

UNIV.
OF
MICH.


1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

DE ALEXANDRI MAGNI EXPEDITIONE INDICA

SCRIPSIT

AUG. ED. ANSPACH
DR. PHIL.



LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI
MCMIII

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI

De Alexandri Magni expeditione Indica.

Bactriana Sogdianaque provinciis in potestatem redactis Alexander iam antea certe sibi propositum[1]) perficere studuit: in Indiam se vertit, sive terram qua de multi fabulosa multa et paene incredibilia litteris mandaverant, qua de Persae et Indi ipsi occurrentes edocebant, cogniturus ipse[2]) secretasque adhuc illas regiones mercaturae et scientiae quasi develaturus, sive cursui, ut dicam, victori coronam additurus, Asiae tum cognitae partem reliquam eamque prae ceteris beatam subigens[3]), sive quod non omittendum videtur Alexandri Aristotelici discipuli consilium, Indos quoque ad Graeci cultus humanitatem adducturus[4]), inque vicem illorum bonis moribus et institutis Graecos Macedonesque edocturus.[5]) certe etiam illud respexit Alexander, quod ex parte parva Indiae subdita Persis[6]) vectigalia re-

---

1) Pharasmani, Chorasmiorum regi, qui ad ipsum et se traditurus et ad bellum contra Colchos Amazonesque populosque reliquos ponto Euxino propinquos gerendum incitaturus venerat, iam non tempus esse illa exequi respondit Alexander: *αὐτῷ δὲ τὰ τῶν Ἰνδῶν ... ἐν τῷ τότε μέλειν* cf. Arriani exped. Alex. IV, 15,5. primi apparatus expeditionis Indicae in hibernis Nautacenis facti esse videntur (Arr. IV 18. 2;) consilium ipsum certe iam initum erat, cum Alexandriam sub Caucaso conderet.

2) cf. Schuffert. Alex. ind. Feldzug in progr. Colb. a. 1886 p. 7.

3) Arrian IV, 15,5: *τούτους (τοὺς Ἰνδοὺς) γὰρ καταστρεψάμενος πᾶσαν ἂν ἤδη ἔχειν τὴν Ἀσίαν· ἐχομένης δὲ τῆς Ἀσίας ἐπανιέναι ἂν ἐς τὴν Ἑλλάδα* ... quae verba ipse Alexander ad legationem modo laudatam dixit. vide porro Arr. V, 26. similiter Trogus Pompeius narrat (Justin.) XII 7: post haec Indiam petit, ut Oceano ultimoque Oriente finiret imperium... et Curtius VIII, 17 Z. ceterum Indiam et inde Oceanum petiturus..., errat Schuffert. l. l. qui dicit: Curtius VIII, 9 (30 Z.) läßt ihn einfach nach Indien aufbrechen, um die Unthätigkeit der Truppen nicht länger zu unterhalten etc.; nam hanc causam proficiscendi omnino, non in Indiam proficiscendi Curtius l. l. affert.

4) cf. [Plut.] de Alex. s. virt. s. fort. orat. I c. 5 med. *τὴν δὲ Ἀλεξάνδρου ἂν ἐπιβλέπῃς· Ὑρκανοὺς γαμεῖν ἐπαίδευσε καὶ γεωργεῖν ἐδίδαξεν· Ἀραχωσίους καὶ Σογδιανοὺς ἔπεισε πατέρας τρέφειν καὶ μὴ φονεύειν, καὶ Πέρσας σέβεσθαι μητέρας, ἀλλὰ μὴ γαμεῖν. ὢ θαυμαστῆς φιλοσοφίας, δι' ἣν Ἰνδοὶ θεοὺς Ἑλληνικοὺς προσκυνοῦσι* (erravit sane in hac re auctor orationis, siquidem Aelxandri ipsius aetatem respicimus,) *Σκύθαι θάπτουσι τοὺς ἀποθανόντας οὐ κατεσθίουσι* ... Plinius N. H. VI, 95 narrat: Jchtyophagos omnes Alexander vetuit piscibus vivere.

5) vide Curt. VIII, 27,2.

6) iam Cyrus rex Kapisa urbe — quae urbs supra Kabul septentrionem versus sita est; dubium est num eadem fuerit quae hodie Kaffschan vocatur, cf. Justi: Pers. Gesch. p. 29. 'Kapiça am oberen Alishang, in der Gegend des heutigen Miriam.' Lassen III, 879 — sub Hindukush occidentali in Kabulistan regione sita

dierant omnium maxima[7]), caussas nactus expeditionis idoneas, quod et olim in Xerxis Graeciam vastantis exercitu pugnaverant Indi[8]), et quod Indi Dareum adversarium adiuverant.[9]) quin ipsorum Indorum principes nonnulli eum ut veniret videntur rogasse.[10])

Iam duobus annis ante ab Arachotis veniens Paropanisadas[11])

---

deleta (Plin. N. H. VI, 92,) subactis Gandaris (cf. Justi p. 96,) usque ad Indum processerat (vd. Duncker. Alt. III, 14 coll. Arr. Ind. I, 3). regi Persarum Vitaspae regio Hapta-Hindu subdita erat cf. Justi: Perſ. Geſch. p. 37. Dareus Hystaspis Indos trans etiam Indum habitantes Daradas subegerat (v. Dunckeri l. l. III, 294, Justi p. 98). qui commemoratur Aspathines regis Darei comes (Justi p. 51) fortasse Indorum Aspasiorum erat princeps. Post pugnam ad urbem 'Kapisakanis' (Kaffschan) in Arachosia anno 517/16 a. Chr n. factam exercitus Persarum progressus iterum ad Gandutavam (certe in terra Gandariorum sitam) hostibus fugatis Arsadam arcem expugnavit (cf. Justi l. l. 54.) Skylax Karyandeus Darei H. iussu secundo Indo vectus erat ad mare: *οἱ δὲ ὁρμηθέντες ἐκ Κασπαπύρου τε πόλιος καὶ τῆς Πακτυικῆς γῆς ἔπλεον κατὰ ποταμὸν — ἐς θάλασσαν* (Herod. III, 102.) Indos illi urbi et regioni finitimos Bactris simili usos esse victu idem tradidit Herodotus. secundum Hekataeum Kaspapyros urbs erat Gandariorum, vide Steph. Byz. s. v., cumque Herodotus Gandarios Bactris simili ornatu bellico usos esse testis sit (VII, 66) et arenam illam aureum pulverem praebentem Daradarum prope Kaspapyrum repertam fuisse memoriae prodat III, 102, non dubito quin etiam Herodotus Kaspapyrum urbem Gandariorum fecerit: ad Indum igitur videtur sita fuisse (cf. Justi: Perſ. Geſch. p. 96 qui Kaspapyrum eandem putat esse cum nostratium urbe Torbela ad Indum paullo supra Kabul influentem sita, porro Lefmann: Geſch. d. alten Indiens p. 3 'in der Nähe vom heutigen Attok'), et errare Dunckerus (III, 294,) qui eam cum Kabul urbe eandem putaverit: si autem re vera nomen Kabul a kaspapyro (et hoc contractum est ex kasjapa-pura: urbem kasjapae significans,) ortum sit (quod mihi secus videtur, cf. infra), exstat (in chartis quidem Stieleri a. 1875 editis) urbs ad Indum sita prope Gandarios et Daradas (quorum regio, Dardistan, paullum inde septentrionem versus progredientibus adhuc patet,) Kabulgram hodie vocata. porro in inscriptionibus lapidariis inter satrapias Darei Gandari et Indi nominantur (Justi p. 57;) in vectigalium catalogo Herodotus Gandarios et Indos separat (VII, 65), quorum Indi 360 talenta pulveris aurei cum penderent, verisimile est, habitasse illos trans Indum circa et supra Taxila urbem, quia ibi et in Daradarum regione copia illius pulveris aurei et in terra et in fluviis conquirebatur.

Xerxi uero vel Caspiri subditi erant (v. Herod. VII, 65 sq. 86,) et 'Aethiopes Indici' (VII, 70 cf. Justi l. l. 117. 118. et chartam II). Dareo Codomanno Indi auxilio venerant v. Arr. III, 8,3. Arachotarum et Indorum montanorum praefectus nominatur Barsaentes, (Arr. III, 8,4) Bessi in Dareo necando adiutor, qui ex Drangarum regione *εἰς Ἰνδοὺς τοὺς ἐπὶ τάδε τοῦ Ἰνδοῦ ποταμοῦ ἔφυγε*, sed ad Alexandrum remissus et interfectus est (Arr. III, 25,8). iam a Macedonibus Arsakes commemoratur regionis Uraçae intra Indum et Dschelam fluvios montanae princeps. Plinius populum novit illo loco Arsagalitas (N. H. VI, 78,) Ptolemaeus eodem loco posuit Uarsam, quo ex nomine etiam Barsaentis vocis partem priorem derivatam esse puto. quodsi verisimile est trans Indum Dareo C. Barsaentis populum paruisse (cf. etiam Arsadam arcem supra nominatam,) fortasse licet addere, etiam Taxilas paullo infra Uarsas habitantes sub dicione fuisse Persarum, cum rex illorum Taxiles, Bessi antea socius, Dareo necato statim Alexandro videatur se subiecisse cum ceteris Indorum hyparchis *ἐπὶ τάδε τοῦ Ἰνδοῦ ποταμοῦ* v. Arr. IV, 22,7 et Diod. XVII, 86.

7) cf. Herod. III, 94.

8) cf. Herod. VII, 66. VIII, 113.

9) vide adn. 6.

10) v. Diod. XVII, 86,4. Curt. VIII, 12, 5—6 cf. Arr. IV, 22,6.

11) gens de montis nomine vocabatur cf. Strab. XV p. 724: *παρὰ μὲν τὸν Ἰνδὸν οἱ Παροπαμισάδαι, ὧν ὑπέρκειται ὁ Παροπαμισὸς ὄρος* ... iisdem nominibus

bene ipsum recipientes suae dicionis fecerat; quorum in finibus et Alexandriam urbem in ipsis Caucasi[12]) montis radicibus condiderat[13]),

et de monte et de gente utitur Diodorus XVII, 82,2 sq. ab Arriano IV, 22, 4 sq. Parapamisadae appellantur et mons Parapamisus V, 3,3 cf. Ind. II, 3 sq. item a Curtio VII, 3,6 sq. Plinius N. H. et Claudius Ptolemaeus, quae nomina equidem in mea narratione adhibere ausus sum, Paropanisum et Paropanisadas noverunt rectius; vide Lassenii Ind. Altertumsk. vol. I p. 27 adn. 1 fin. (ed II). et Droysenii Gesch. d. Hellenismus II p. 12 adn. 1. ceterum Paropanisadas Indos non esse Eratosthenes iam dixit Arriano teste V, 3,3. cf. Lassen I p. 421. Indi demum infra Khonar in Kabul influentem habitant.

12) Caucasus mons Macedonibus is erat, qui ab incolis partim Paropanisus, Emodus, Imaus, (duobus his proprie vocari solebant Himalaya montes) aliis partim nominibus vocabatur, cf. Strab. XV p. 689 Plin. N. H. VI, 71. 78. Arrian. V, 3 ,3 Eratosthenem facit dicentem, Macedones Paropanisum montem Caucasum nominasse; Hindukush (koh) hodie appellatur. quae caussa Macedones commovisset ut ita nominarent exposuit Lassen I p. 27 adn. 1; invenerant enim specum magnum (cf. Erat. in Arrian. V, 3,2, Strabo XV, p. 689,) quem cum Promethei fuisse nonnulli dicerent *μῦθον ἐπιχώριον ἀκούσαντες ἢ καὶ αὐτοὶ ξυνθέντες* (Erat l. l. p. 3,) iam mons Caucasus erat. Curtius VII, 14 rupem permagnam in illa regione exstitisse narravit tantum: *X in circuitu stadia complectitur* (rupes,) *quattuor in altitudinem excedit, in qua vinctum Promethea fuisse antiquitas tradit.* huius quoque auctor fabulam aliquam inter Paropanisadas notam respexit. quin Diodorus XVII, 83,1 praeter rupem in medio Caucaso sitam et speluncam in ea, aquilae quoque illius fabulosae nidum et vinculorum signa ab incolis ostendi prodidit memoriae. Spiegel in libri: Erân. Altertumskunde II p. 54 adn. 1 rupem ubi spelunca Promethei et aquilae nidus fuerit, esse fortasse montem putat, in quo Zâl a Tîmurghio educatus esse dicatur: secundum enim Firdosium eum in Indiae finibus illis esse quaerendum. certe similes fabulae mythologicae illic repertae et nominis similitudo multum valebat ad nominandum montem Caucasum: nam via qua Alexander transisse videtur adhuc Chewak — vel Chawak — vel Chawkpass nominatur ex urbe ibi sita (cf. quae infra dixerim;) altera pars vocis — kasus, in lingua Indorum kâsas, etiam in Plinii voce Scythica Croucasis (cod. A Detl. N. H. VI, 50: Scythae ipsi . . . Caucasum montem Croucasim (appellant) hoc est nive candidum) reperitur, quod indice Grâva-kâsas, germanice, glänzendes Felsgebirge (proprie autem schneeweißes [Gebirge] cf. Plin. l. l., radix indogermanica kâ-s significat candidum.) esse monuerat iam Ritter Asien IV p. 449. incolae horum montium nive candidorum vocabantur Khaça indice, gaece *Κάσιοι*, quo nomine Ptolemaeus geogr. VI, 15,16 usus est etiam in nominandis montibus Sericis, cum terram *Κασίαν* appellet. Plinius Casiros novit (fortasse rectius Casios legas nisi malis Caspiros), iam Herodotus Caspiros, conferas Kaçmiram terram trans Indum sitam incolasque eius et heroem indicum (deorum et hominum patrem, Çakuntala) kasjapam, urbemque Kaspapyrum, videas porro regionem circa Khonar fluvium sitam Kashgar hodie dictam (ceterum cf. etiam Lassen. I p. 27 adn. 1.) ex coniunctis igitur vocibus Chawk-et kâsas (s. gha-v + kas) Macedonum Kaukasus factus esse videtur. ceterum de rupe magna illa et specu cum nihil infra exposuerim, diversis locis ea a viris doctis reperta esse satis habeo dicere. prope Bamyan urbem sita fuisse verisimile non est, cum Alexander ea via profectus non sit. cf. Lassen. II p. 730 adn.

13) quo loco Alexandria urbs sub Caucaso sita fuerit, difficile est diiudicatu. Car. Ritter in commentatione berolinensi academica (anno 1832 separatim edita): Ueber Alexanders des Großen Feldzug am indischen Caucasus p. 25 Alexandriam urbem a rege eo loco conditam esse putavit, ubi nostra aetate Bamyan exstat. adstipulatus est C. Zumpt in editione Curtii a. 1849 l. VII, 3,23 adn., alii alia sumpserunt. sed examinemus singula testimonia, quae ex scriptoribus antiquis nobis serventur. apud Diodorum haec fere legimus XVII, 83,1 (*τὸν Καύκασον*) *κατὰ πλάτος διελθὼν ἐν ἡμέραις ἑκκαίδεκα πόλιν ἔκτισε κατὰ τὴν εἰσβολὴν τὴν φέρουσαν εἰς τὴν Μηδικήν, ἣν ὠνόμασεν Ἀλεξάνδρειαν.* Curtius Rufus haec

---

narrat VII, 3,22: XVII dierum spatio Caucasum superavit exercitus... condendae in radicibus montis urbi sedes electa est... hanc quoque Alexandriam incolae appellaverunt. ac Diodorus quidem urbem putavit esse conditam in parte Caucasi septentrionali: *διελθὼν* ... *ἔκτισε*. Curtius eodem ordine res refert, quamquam non aperte indicat, ubi urbs sita fuerit. Sed videamus Arrianum IV, 21,4: *ὑπερβαλὼν δὲ τὸν Καύκασον ἐν δέκα ἡμέραις* (*ἐκ Βάκτρων*) *ἀφίκετο εἰς Ἀλεξάνδρειαν πόλιν τὴν κτισθεῖσαν ἐν Παραπαμισάδαις ὅτε τὸ πρῶτον ἐπὶ Βάκτρων ἐστέλλετο*. Dilucide igitur nobis narrat, Alexandrum ex Bactris transmisso Caucaso venisse in urbem Alexandriam, in Paropanisadarum regione conditam, quos partem Caucasi montis meridionalem colere omnes consentiunt. antea scripserat: III, 28,4: *ἐν τούτῳ δὲ Ἀλέξανδρος πρὸς τὸν Καύκασον τὸ ὄρος ἦγε, ἵνα καὶ πόλιν ἔκτισε καὶ ὠνόμασεν Ἀλεξάνδρειαν* ... *σατράπην μὲν τῇ χώρᾳ ἐπιτάξας Προέξην* ... *τῶν δὲ ἑταίρων Νειλόξενον τὸν Σατύρου ἐπίσκοπον ξὺν στρατιᾷ ἀπολιπών*. plane etiam veri dissimile sit Caucaso transmisso in prima Bactriana Alexandrum reliquisse satrapam et milites: atque satrapam regionis in latere Caucasi meridionali sitae. Arrianum confirmat Strabo XV p. 725: *διαχειμάσας δ᾽ αὐτόθι ὑπερδέξιον ἔχει τὴν Ἰνδικὴν καὶ πόλιν κτίσας ὑπερήκρισεν εἰς τὴν Βακτριανήν*. ceterum ab orientali parte regionis Paropanisadarum sitam fuisse Alexandriam etiam ex Plinii N. H. VI, 25,92 concludi licet, qui haec nobis tradidit: Paropanisadas, Cartana... haec regio est ex adverso Bactrianorum, deinde cuius oppidum Alexandria a conditore dictum Sydraki... ad Caucasum Cadrusi... infra haec omnia ora ab Indo. iam Stephani Byz. s. v. *Ἀλεξάνδρεια* commemorata urbs *ἐν τῇ Ὀπιανῇ κατὰ τὴν Ἰνδικὴν* quod nisi nostram urbem non spectare Cunningham coniecit: The ancient geography of India I p. 61 — Opian vel potius Hûpiân urbs prope Ḳârikar (Tschârikâr, cf. Kabul nomen, quod incolas olim etiam Sabul vel Zabul elocutos esse Al. Burnes testis est [Ritter, Asien V, 238]) hodie iam extat — primum valde dubito, num olim totam illam regionem Opianen incolae appellaverint, cum prorsus alia Hûpiân urbis radix indica videatur esse; iam Stephani Alexandriam *ἐν τῇ Ὀπιανῇ* aliam omnino esse in India, non in Paropanisadis sitam, recte contenderant Droysen II, 189 a. 3 et Lassen II p. 282; denique Plinii N. H. VI, c. 17 Alexandri oppidum certe non bene mutavit Cunningham in Alexandria Opianes. (Plinii Alexandri oppidum Graece est *Ἀλεξάνδρου πόλις*; distinguenda autem proprie *Ἀλεξάνδρεια* et *Ἀλεξάνδρου πόλις* vel *Ἀλεξανδρόπολις*, vide Isidorum in *Σταθμοῖς* Parthicis de Sacastacene: *ἔνθα βασίλεια Σάκων καὶ πλησίον Ἀλεξάνδρεια πόλις, καὶ πλησίον Ἀλεξανδρόπολις πόλις*. idem de Arachosiis quidem: *εἶτα Ἀλεξανδρόπολις μητρόπολις τῆς Ἀραχωσίας*, quae ab aliis *Ἀλεξάνδρεια* nominatur. videntur eae urbes quae postea *Ἀλεξάνδρου πόλεις* vel *Ἀλεξανδροπόλεις* appellabantur, clarae originis memores hoc nomen sibi ipsae assumpsisse, cum ab Alexandro conditae, neque tamen *Ἀλεξάνδρεια* nominatae essent. ut complures urbes in Paropanisadis inter Caucasum et Cophenem ab Alexandro conditas esse Diodorus testis est. Poterant postea et distingui et confundi urbes *Ἀλεξάνδρειαι* et *Ἀλεξάνδρου πόλεις*, sed puto Alexandri oppidum Plinii fuisse Alexandriam sub Caucaso.) hoc tamen licet affirmare in parte Caucasi montis meridionali Alexandriam conditam fuisse atque errare in hac quidem re Diodorum et Curtium. sed ubinam condita est? quam quaestionem ut solvamus prius ubi vetus urbs Ortospana sita fuerit investigemus. nam quinquaginta inde passuum millia Alexandria aedificata erat, cf. Plin. N. H. VI, 21 inde Ortospanum CCL M, inde Alexandri oppidum L M. sane varios tradi numeros idem addidit; sed in universum noster quadrabit. Ortospana autem urbem commemorat Strabo XI p. 514 et XV p. 729: *εἰς Ὀρτόσπανα ἐπὶ τὴν ἐκ Βάκτρων τρίοδον ἥτις ἐστὶν ἐν τοῖς Παροπαμισάδαις*. e Plinii loco laudato apparet, Alexandrum illuc exercitum adduxisse cum ex Arachotis moveret in Bactrianos; Claud. Ptolemaeus eandem nominat *Κάρουρα*: *Κάρουρα ἣ καὶ Ὀρτόσπανα*. omnes adhuc uno ore viri critici consentiunt, urbem eam fuisse quae hodie Kabul vocatur. moventur enim soni similitudine aliqua inter *Κάρουρα* et Kabul voces intercedente. quin Ptolemaei *Κάρουρα* iam codicum librarii partim mutaverunt in *Κάβουρα*. negandum autem est eum locum, ubi servatum sit in codicibus altero post *Λόχαρνα* urbem (cuius numeros geographicos 118° 34′ servant codices) quae ad Logar hodie vocatum fluvium referenda est, — influit is in Kabul fluvium

paullo infra Kabul urbem et maior est illo, ut verisimile sit fluvium olim Logar nominatam esse usque ad eum locum unde Kabul hodie vocatus Pundschir vel Ghorband dictum recipit, — demonstrare, Ptolemaeum sine dubio Kabul urbem voluisse commemorare, cum praecedat Daroacana urbs, cuius numeri orbis aequatorialis sunt 37° 45°, ut mihi potius Carurae numerus in codicibus servatus 35° in 37° mutandus versusque duo illi post Kapisae versum ponendi videantur ita ut Carura fere in ea regione etiam secundum Ptolemaeum sita sit, ubi hodie prope Kârikâr urbem Hûpiân exstat. accedit quod urbs, quem Ptolemaeus in orbe 37° 20 aequatoriali, 118° meridionali commemorat (VII, 18,3) *Βαβοράνα* (cod. *A ἢ Βαρβοτάνα*) videtur in *Βαγοράνα* mutanda esse, ut sit quae hodie extat prope Hûpiân urbem: Begrâm. Ortospana enim Strabonis et Ptolemaei et Plinii Hortospanum idem esse quod vetus Urdhasthâna (cf. Cunningham. I, 33 „high place") mihi quidem satis certum est. sed Urdhasthâna regionem circa Kabul urbem non fuisse docemur iam Chinesii Hiuen Thsang (c. anno 650 p. Chr. n.) itinerario; qui Fo-li-shi-sa-tang-na verbum indicum reddens in lingua sua vernacula, caput commemorat Hupina, quod idem est cum nostratium Hûpiân, supra Kârikâr et Ghorband fluvium sito (cf: Lassen ed. I vol. III p. 855 adn.) imperator Baber cum exercitu via quae Kipschakpass nominabatur ex Bactria in Kabulistan inde a confluentibus Surkhab et Anderab fluviis profectus iugum montis prope **Hûpian** transscendit (cf. Ritter V, 253). nomen illud ipse commemorat 'Paßhöhe von Hupian oder Upian' Ritter). ceterum eadam via (Kipschakpass) Alexandrum ex Bactriana in Paropanisadas regressum esse infra dicam (adn. 25). nomen urbis Ortospanum-Urdhasthâna fortasse servatum est in nostratium urbe Ali-**Burdsch** (prope Beghram), quo hodie quoque coeunt tresviae ex Bactria v. chartam Herrich. Karbulistan terrae. Ghorband fluvii nomen, quod iam Cl. Ptolemaeo notum fuisse puto, qui Gardasmanim illo loco noverit fluvium, (*Γαρδασμάνις* ex codicibus restituendus est,) ab urbe Hortospano non multum differre videtur, quantum ad etymologiam attinet; nam radices gha-r et gar et var (ur) inter se non diversae significationis (hell) ex radice gva-r = gau-r ortae esse possunt. redeamus ad Strabonem qui Ortospana *τὴν ἐκ Βάκτρων τρίοδον* dixit. sed ubi sunt illae tres viae quae ex Bactriana venientes diversae coeant demum in Kabul urbe? vide enim chartam Cunninghamii III et lege eius paginam 24 vol. I: The place (Alexandriae urbis) was chosen by Alexander on account of its favourable site at the *τρίοδον* (Strabo XV, 2,8:) or parting of the „**three roads**" leading to Bactria. This roads — which still remain unchanged, all separate at Opiân near Begrâm:

1) The north-east road, by the Panjshir valley and ower the Khâwak-Pass to Anderâb.
2) The west road by the Kusha'n valley and over the Hindukush-Pass to Ghori.
3) The south-west road op the Ghorb'and valley and over the Hâjiyak-Pass to Bamian.

quamquam de Alexandria urbe in trivio ipso sito errat vir ille doctus (errat sane etiam Lassen. II p. 129 adn. 1), tamen hoc recte sensit, illic trivium esse quod commemoratur ab Strabone (in chartis Stieleri supra laudatis tres viae coeunt in Siawal urbe prope Kârikâr sita.) Strabo XI p. 514 Ortospana a regione Indiae finitima (*τὰ ὅρια τῆς Ἰνδικῆς*) mille stadia afuisse dicit. incipit autem ut infra videbimus illa regio fere ubi Khonar fluvius in Kabul influit. spatium igitur illud melius quadrabit in regionem prope Kârikâr, quam prope Kabul sitam. reperiuntur autem illic in planitie Beghram nominata ruinae maximae vetustissimaeque urbis, quam indoscythicorum principum regiam fuisse putaverunt viri docti, cum ingens copia veterum nummorum ibi reperiatur. (praeter Bamyan Rittero sola planities Beghram apta videtur, ubi Alexandria condi possit, cum eo diversae trans Hindukuh viae coeant vide As. V, 295.) illic autem si Hortospanum vel Ortospana situm erat, ne Karura quidem Kabul esse potest. quae firmabitur sententia nostra, quod Kabul urbis nomen vetus alio loco nobis servatum sit. nam omisso quod Spiegel in Erân. Altertumskunde I p. 8 adn. 3 commemorat, scriptum esse kaphul in Huzvâresh traductione Ved. I 34 (Bundehesh illo teste scribit v pro ph), in [Arriani] Periplo maris Erythraei

nardi nominantur tres: Kattyburine, Patropapige, Kabalite, quorum vera nomina hoc modo restituenda esse puto: Kaspapurine Paropamise, Kabolite: extremum respicit certe Kabul urbem, nam in Kabul urbe nardus exstat perbonus. quae si recte coniecimus et Kabul urbis nomen vetus, fortasse Kabola graecis auribus sonans, iam in antiquitate fuisse notum, et hanc urbem in Paropanisadarum finibus sitam non fuisse et dignosci debere ab Kaspapura apparet. nusquam etiam ab Alexandri rerum gestarum scriptoribus Kabul urbs commemoratur, ut dubitari summo iure liceat, num iam tum eadem ea urbs auctoritate fuerit qua nunc est. Alexander certe ad eam non videtur in itinere adgressus esse. ceterum nomen eius indicum verisimile est 'Kapila' fuisse, ex Buddhae illius urbe patria indica sumptum; extant prope Kabul nostris quoque temporibus multa Buddhae ut videtur sacraria. nomen indicum Kubhâ in compluribus locis vedicis commemoratum (Lassen II app. XLVII adn. 1.) non ad Kabul (cf. Lefmann l. l. p. 152) sed ad Graecorum *Κωφής* attinere puto.

Ortospano — Ali-Burdsch — autem profectus aliquis Alexandriae urbis situm possit investigare: nam in extremo orbe, cuius centrum Ali-Burdsch est, cum radius decem fere milium geographicorum sit, Alexandriae locum reperiat. erravit autem Diodorus qui l. l. s. dixit in via *εἰς τὴν Μηδικὴν* ferente conditam esse urbem. in Bactrianos enim profectus est Alexander via quae ducit Adrapsa (Drapsaka) cf. Arrian. III, 29,1 (Strabon. XV p. 726.) cumque satis certum sit, illam urbem et eam quae hodie Anderab appellatur esse eandem (cf. Lassen. II p. 129 ad. 1.) via rex usus est sive quae hodie Khâwak-Pass (cf. Cunningh. I p. 25), quod mihi quidem videtur, sive quae Tul-Pass nominatur (cf. Lassen. II p. 129 adn. 1.). voluit etiam Alexander via longiore profectus de improviso Bessum opprimere. progressum eum esse via Khâwak-Pass etiam Schuffert. Alexanders indischer Feldzug in progr. Colberg a. 1886 p. 9 statuit. Jam vero dissimillimum est veri, regem urbem condidisse aut in via Hâjiyak (cf. Cunn. l. l.) aut in via Hindukush (cf. eundem) in ipso fere montium iugo, neque inde viis illis processisse, sed alia: urbs autem nonnisi in radicibus montium (Curt.) vel sub Caucaso (Plin.) sita fuisse dicitur. nihil igitur reliquum est nisi regionem ad orientem quae spectet ut investigemus, num ibi fortasse Alexandria possit esse condita. fluit ibi amnis qui hodie Alishang appellatur. nominis adhuc origo obscura est. equidem suspicor nomen fluvium accepisse de magno rege Alexandro: urbs eius Alisadda postea vocata est (cf. Cunningh. I, 16,) Alexandri nomen lingua sanscritica quae vocatur redditum in inscriptione Açokae in Kapur-di-Gir. extat: 'Alikasunari' (fortasse Alikasandari, Lassen) cf. Lassen Ind. Altert. II app. XLI, unde facile potuit fieri Alishang. de urbe autem nomen cepisse fluvium non nimis mirum nobis videbitur, reputantibus eandem rem esse et in Kabul et in Khonar urbe et amne. ceterum exstare vicum Alishang iam Lassen testatur I p. 436 et exstat in chartis novissimis veluti in charta Herrichiana Afghanistan terrae. vallis Alishang fluvii satis lata et ferax est. recipit in se priusquam Kabul amni se committit, Alingar fluvium, cuius latior etiam vallis in complures valles minores se aperit, quarum pars montibus tantum superatu facilibus separantur a Khunar fluvii vallibus. cf. Elphinstone: Kabool, in linguam vernaculam libri redacti a Ruehsio l. p. 159. Baber ille clarissimus imperator ante hos fere quadringentos annos novit ibi pagum Lamghan (apud Afghanos Laghman vel Lughman cf. Ptolemaei Lambatas) eiusque pagos minores Mendraur, Alinghar, Alishang; (non procul in occidentem versus commemorat vallem Alah-sai, cuius nomen, si Alisadda vel Alikasunari comparamus, aeque atque Alinghar ad Alexandrum referemus). in illo pago Lamghan (inque aliis Kafiristan terrae) aurum purum reperiri, ab incolis ornamenta et vasa aurea fabricari, homines esse vini amantes; propterea, ut videtur, Baber et centum fere annis post Abul Fazl Graecorum eos progeniem esse putaverunt, (quam famam incolae ipsi sane non noverunt). ceterum incolas Lamghan regionis propria uti lingua imperator Baber testis est (cf. Ritter Asien V, 227). ad ripam igitur Alishang fluvii Alexandriam conditam fuisse arbitror. inde facile tota Paropanisadarum finitimaeque regionis satrapia (cf. Arr. IV, 22,5: *τῆς τε χώρας τῆς Παραπαμισαδῶν καὶ τῆς ἄλλης ἔστε ἐπὶ τὸν Κωφῆνα* [*ποταμόν*]) Plin. Nat. hist. VI 78: Paropanisidas ultimo fine Cophete fluvio) continebatur, quae a meridie Cophene fluvio, ab orienti Choe (quem eundum esse atque Ptolemaei

et alias praetera urbes duas vel tres[14]) non multum absitas muniverat: satrapam regioni constituerat Proexem Persam, Niloxenum Satyri filium ex hetaeris episcopum; adiunxerat milites non ita paucos.[15]) iam tum eadem potuit via in Indos progredi, qua postea usus est. sed Bessum debellare in animo habuit, priusquam illos aggrederetur: de Indiae tamen gentibus regibusque, de viis fluviisque

---

Koam, hodie Khunar vocatum infra cognoscemus,) videtur finita fuisse. ad eiusdem amnis Alishang ripam non multum a nostratium Miriam urbe absita vetustissimis temporibus Kapisa urbs exstitit. a Cyro Persarum rege deleta, saeculo p. Ch. n. septimo exaedificata regni caput fuit (vide Lassen. III p. 135 et adnot. 3.) fortasse illa in regione etiam Alexandria exstructa erat: nam illuc tum ex Arachosia Bactria India vias duxisse verisimile est: ut facile inde in Bactriam Anderab ab urbem, facile ad Cophenem versus Nicaeam proficisci Alexander posset. et re vera in sinistra ripa Kabul fluvii veterrima via exstat exercitui apta, a Konar et Kabul confluentibus ad planitiem Beghram, ubi Ortospanpag situm fuisse puto, per pagos Alishang et Laghman ducens ad confluentes Pandjir et Ghorband fluvios cf. Ritter V, 229. 295.

14) alteras urbes unius diei iter (hoc certe nimis anguste dictum) ab Alexandria procul sitas regem tum 'condidisse' solus (legendum enim est l. l. Diodori *καὶ ἄλλας πόλεις . . . ἐχούσας* propter sequens *εἰς ταύτας*) et cui in hac re fides haberi potest auctor est Diodorus XVII, 83,2. Plinius enim N. H. VI, 25(92) praeter Alexandriam a conditore dictam, ad Caucasum Cadrusi oppidum ab Alexandro conditum et in Paropanisadarum regione Cartana oppidum sub Caucaso, quod postea Tetragonis dictum commemorat: quod cum illo graeco nomine iam Alexandri temporibus exstitisse et ea ipsa de caussa a Plinio nominatum esse satis certum mihi videtur cum in omni illa enumeratione sua Plinius scriptorem aliquem rerum Alexandri sequatur auctorem. Non omittam quod Lassen II, p. 130 Cadrusi ad Caucasum aut ipsam Alexandriam aut alteram Diodori putaverit fuisse urbem; legit enim ille apud Diodorum l. l. cum Dindorfio *ἄλλην πόλιν . . . ἔχουσαν*. equidem Cadrusorum illam urbem diversam fuisse ab Alexandria ipsa ex Plinii verbis satis apparere puto. Arrianus IV, 22,6 refert ab urbe Alexandria ad Indos progressum Nicaeam venisse Alexandrum . . . quam si non conditam, certe amplificatam et munitam a Macedonibus recte si sumo (vide quae infra scripserim), possit esse ex illis quas Diodorus commemoratur. valde igitur dubium est, num urbium illarum situm bene Cunningham, l. l. I p. 56 explicuerit; cf. Wilson. Arian. Ant. p. 181; neque minus, num Gul-Gulé urbs, loco fere sita ubi Bamyan urbs exstat, ab Alexandro condita vel munita potius fuerit, quod affirmant hodie Afghani, vide Schuffert. l. l. videntur sane talia simulacra et antra, qualia in angustiis prope Bamyan reperiuntur, fabulam illam de Prometheo in Caucaso invento fictam vagantibus Alexandri militibus adiuvisse: sed etiam aliis in locis exstitere. Diodorus rupem Promethei in medio Caucaso visam esse narrat (XVII, 83). poterat sane Alexander etiam in illo loco, optime sito si quis intraturus erat in Indiam et regressurus in occidentem, urbem aliquam munire, . . . sed non fecit, cum omnino non proficisceretur illa via (v. etiam Schuffert. p. 9.)

15) numerum non indicavit Arrianus. fortasse inter eos erant, quos commemorant Diodorus Curtiusque novarum urbium colonos esse relictos. narrat autem Curtius VII, 3,23 — ne haec omittam — condendae in radicibus montis urbi sedes electa est. VII millibus seniorum Macedonum et praeterea militibus quorum opera uti desiisset permissum in novam urbem considere (Alex.). iam Diodorus XVII, 83 *ὁ δ' Ἀλέξανδρος καὶ ἄλλας πόλεις ἔκτισεν ἡμέρας ὁδὸν ἀπεχούσας τῆς Ἀλεξανδρείας. κατῴκισε δ' εἰς ταύτας τῶν μὲν βαρβάρων ἑπτακισχιλίους, τῶν δ' ἐκτὸς τάξεως συνακολουθούντων τρισχιλίους καὶ τῶν μισθοφόρων τοὺς βουλομένους*, cumque antea non dixerit quam multos Alexandriae milites rex reliquerit sine dubio *κατῴκισε δ' εἰς ταύτας* non modo de his sed et de Alexandria et de ceteris intellegenda sunt. si comparamus Curtium et Diodorum, illius septem millia seniorum Macedonum con-

certe iam tum accuratius quaesivit[16]), repperitque habitare quidem illic populos bellicosos permultos, minime vero eos esse inter se coniunctos, contra ea alterum alteri esse inimicissimum. quare eos quoque a se devinci posse sperans post Bessum victum cum Nautacis hiberna habens omnia ad bellum Indicum pararet[17]) id potissimum spectavit, ut cum exercitu non quam magno sed quam expedito posset adiret Indos.

Fugatis igitur antea reliquis citra Caucasum hostibus vere[18]) exeunte anni ante Christum natum 327, impedimentis non necessariis

---

gruunt cum septem barbarorum millibus Diodori, si numerum respicias. milites bello inutiles Curtii sunt *οἱ ἐκτὸς τάξεως συν.* Diodori; cuius iam restant *τῶν μ. οἱ β.* possunt esse ii qui cum Niloxeno relicti sunt: in prioribus autem erravit aut Curtii aut Diodori auctor, cum librariorum culpa hanc varietatem ortam esse parum sit probabile. rem si spectamus vix credetur, Alexandrum bellum tum contra Bactrianos Sogdianosque parantem tantum militum numerum eorumque Macedonum in Paropanisadarum regione iam tum reliquisse. quare Diodoro potius adstipuler, praesertim cum Curtium (intellego auctorem) etiam eo statuam errasse, quod nuntium illum ad Alexandriam urbem solam non ad ceteras quoque pertinere voluerit. quod barbaros a rege in conditis aut munitis urbibus collocatos esse Diodorus tradidit, Arrianus simile quid refert IV, 22,5: *προσκατοικίσας δὲ καὶ ἄλλους τῶν περιοίκων κτἑ.* ceterum aliter de tota re Lassen. iudicavit II. p. 121 ed. I. quem videas.

16) cf. Strabon. XV p. 697. quae tum audivit, postea ipsi legati poterant confirmare, quos Mophis proxime trans Indum sitae terrae rex de pace et regno ab Alexandro, successore scilicet Darei, impetrando — nam pater eius paullo ante mortuus erat, ad Macedonem inter Sogdianos versantem miserat. (cf. Diod. XVII, 84,4.) apparet autem ex hac quidem re Mophim atque adeo patrem eius fuisse Dareo subditum; neque enim aliter pacem simul et regnum ab Alexandro petisset. Sisicottus etiam qui ex Indis olim Bactra ad Bessum transfugerat, Bactriana tamen subacta fidelem se socium Alexandro praestitit (cf. Arrian IV, 30,4) regem de rebus Indicis potuit edocere.

17) cf. etiam Lassen. II, 131, Droysen. II, 77, Arrian. IV, 18,2.

18) Arrian. ait IV, 22,3 *ἐξήκοντος ἦρος.* A. Fraenkel in libri Die Quellen der Alexanderhistoriker inscripti p. 186 sq. corrupta eius verba putat esse ex *ἐξήκοντος θέρους*, cum Aristobulus, quem Arrianus praeter Ptolemaeum in primis sequitur auctorem, Alexandrum ex Paropanisadis *μετὰ δυσμὰς πληιάδων* demum profectum esse tradat teste Strabone XV p. 691 § 27: *κατανοηθῆναι δὲ ταῦτα καὶ ὑφ᾽ ἑαυτοῦ καὶ ὑπὸ τῶν ἄλλων φησίν, ὡρμηκότων μὲν εἰς τὴν Ἰνδικὴν ὑπὸ Παροπαμισαδῶν, μετὰ δὲ δυσμὰς πληιάδων, καὶ διατριψάντων κατὰ τὴν ὀρεινὴν ἔν τε τῇ Ὑπασίων καὶ τῇ Ἀσσακανοῦ γῇ τὸν χειμῶνα κτἑ.* sed equidem assentior J. Lezio De Alex M. exped. Ind. quaest. p. 77, qui Arriani verba illa recte servata esse arbitratur. videamus autem singula temporis momenta: Alexandrum exeunte vere, ineunte igitur fere mense Maio, Bactris profectum atque priore parte mensis ad eum locum pervenisse sumamus, unde Caucasus mons ipse transmittendus erat. addamus decem transitus dies: iam nonnullos dies progressus post Cal. Junias Alexandriae fuerit. sane ibi et Nicaeae gravissimis sine caussis Alexandrum quattuor vel quinque — nam occasus Pleiadum varie observabatur a veteribus, atque Columella postea eum commemorat a. d. XIII Kal. Nov. — menses moratum esse ne ego quidem ut credam adducor. quae fuerint caussae indicatur quidem nusquam. sed certe fuerunt et conici fortasse licet, et multum operae navasse Alexandrum pacandae et muniendae regioni Paropanisadarum, quam toti exercitui si male eveniret expeditio praesidio fore cognoverat — minus bene provinciam administraverant Niloxenus et Proxes ante duos annos ibi relicti, ut Alexandro omnia quasi retractanda fuisse videantur — et exspectasse demum Taxilem et hyparchos, ad quos ut sibi occurrerent praeconem miserat ex Paropanisadis (quod elucet ex Arr. verbis § 6: *προὐχώρει*

aut relictis aut combustis[19]) ex Bactriana in Paropanisadarum profectus est regionem, cum exercitu fere octoginta quinque milium militum[20]); quo in numero etiam barbari erant triginta millia, varia

ὡς ἐπὶ τὸν Κωφῆνα, προπέμψας κήρυκα κτέ. h. e. priusquam ex Paropanisadis ad Cophenem procederet;) quique ei magno itinere facto obvenerunt cum Nicaea ad Cophenem procederet. fortasse etiam supplementum Macedonium expectabat: Diodore teste XVII, 95 in India postea accepit triginta sex millia hominum. quod autem tam diu Alexander cunctabatur, nobis non temere sed omnibus rebus perpensis accurate illam expeditionem Indicam susceptam esse prodat.

19) cf. Plut. Alex. 57. Polyaen. Strateg IV, 3,10, quibus cur diffidamus caussa non est.

20) Köchly-Rüstow: Gesch. des griech. Kriegswesens p. 254,74 indicat Alexandrum milites centum et quinque millia duxisse. maiorem numerum tradit Curtius VIII, 5,4 CXX millia armatorum erant, quae regem ad id bellum sequebantur. eundem eorum fuisse commemorat Arrian. Ind. 19,5, qui cum Alexandro Hydaspe secundo progressi sint; praeter CXX millia peditum quindecim millia equitum narrat Plutarchus v. Al. c. 66 adfuisse Alexandro ex India redeunti. errat certe, cum tam multos cum Alexandro in Gedrosiae regiones ingressos esse tradit. quare recentiores critici nonnulli (cf. Köchly-Rüstow l. l. p. 258 adn. 88) non milites sed homines omnino a Plutarcho l. c. arbitrantur numeratos esse. obstant tamen clara Plutarchi verba, quae falso minime licet interpretari. ac de Arriani illo numero detrahamus triginta sex millia, quae Diodoro teste (XVII, 95) supplementum adducta sunt. sed prius credibilem reddam numerum illum Diodori, quem H. Droysen: Untersuchungen über Alex. d. Großen Heerwesen und Kriegführung 1885 p. 77 in suspicionem vocavit cum diceret: die hohen Zahlen sind nicht unbedenklich und sollten jetzt nach der Entlassung aller nicht als Söldner dienenden Griechen im Jahre 330 (cf. enim Arr. III, 19,5 et Curt. VI, 2,17) wieder Bundesgenossen aus Griechenland zum Heere gestoßen sein? (cf. etiam J. Kaerst: Forschungen z. Gl. Al. d. Gr. p. 12 adn. 3.) nam primum quidem mercenariorum permagnum numerum apud Alexandri exercitum posterioribus certe annis fuisse, ipse H. Droysen l. l. p. 75 scit: collocavit enim rex XXII millia mercenariorum in oriente. iam vero nusquam tantus equitum supplentium numerus commemoratur quantus Diodori loco et Curtii IX, 3,21. in omnibus locis numerus peditum venientium quincuplus fere est, ut mihi quidem videatur etiam Diodori numerus peditum l. l. recte traditus esse, at Curtii locus fortasse mutilus. nam quod septem millia ab Harpalo adductos esse narrat Curtius, ne cogites de sex millibus Macedonum equitibusque levisque armaturae paucis quos Arrianus III, 19,7 apud Harpalum Ecbatanis pecuniarum praesidio relictos esse narrat: nam idem addidit III, 19,8: *Κλείτῳ δὲ τῷ τῆς βασιλικῆς ἴλης ἡγεμόνι ἐπέστειλεν ἐπειδὰν ἐκ Σούσων εἰς Ἐκβάτανα ἀφίκηται ... ἀναλαβόντα τοὺς Μακεδόνας τοὺς ἐπὶ τῶν χρημάτων τότε ὑπολειφθέντας ἰέναι τὴν ἐπὶ Παρθυαίους.* postea Clitus cum Alexandro est, III, 27,4: nusquam sane ab Arriano indicatur eum adduxisse illos Harpali milites: quamquam alia supplementa commemorantur III, 25,4 (cf. Curt. V, 7,12;) sed III, 25,4 in. dicit: *Ἀλέξανδρος δὲ ὁμοῦ ἤδη ἔχων τὴν πᾶσαν δύναμιν ᾔει ἐπὶ Βάκτρων*: quibus verbis indicare videtur adventasse etiam septem fere illa millia Macedonum Ecbatanis, quae iure cogitari poterit Harpalum tum demum regi misisse, cum ipse eundem mercenariorum fere numerum haberet. nam re vera aufugit postea Harpalus cum sex millibus mercenariorum in Graeciam. quodsi non erravit Curtius Harpali dicens milites, fuerunt septem illa millia non Macedones olim relicti sed mercenarii. conferamus autem nuntios de supplementis Zariaspae acceptis: Arrian. IV, 7,2 narrat advenisse exercitum Graecorum mercenariorum Nearcho Asandro ducibus, praeterea Asclepiodorum Syriae satrapam et Menem hyparchum *καὶ τούτους στρατιὰν ἄγοντας.* Non eosdem duces Curt. VII, 10,11 sq., tamen omnium militum numerum ad undeviginti millia affert. quod reputantibus non mirum videbitur triginta millia Alexandro supplemento venisse Indiam aggressuro. ac ne de sociis quidem dubitaverim quin recta Diodorus prodiderit memoriae. sane dimiserat rex olim Graecorum socios sive Ecbatanis (cf. Arrian III, 19,5)

armatura instructi[21]) et ex omnibus provinciis tum demum lecta, quasi obsides quoque, ne quid a tergo quod destinata posset impedire

sive Bactris (Arr. V, 27,5) *οὐ προθύμους ἔτι εἰς τοὺς πόνους αἰσθόμενος* (V, 27,5) processurus autem in Indiam novas videtur conscripsisse copias non modo Persarum et Medorum iuniorum illa XXX millia (vide quae iam sequantur in adn. 21) sed etiam Graecorum. quin etiam antea in Bactrianos socii Graeci supplendi causa arcessiti videntur esse. Curtius quidem VII, 10,11 sp. dignoscit quattuor millia mercenariorum Ptolemaei et Menidae ab octo millibus Graecorum ab Antipatro missorum. atque barbari illi iam progredientem ex Bactrianis comitati, socii conscripti cum mercenariis propter itineris spatium ingens anno 326 demum eum assecuti videntur esse.

Detrahamus igitur triginta illa sex Diodori millia, demamus porro quinque Indorum millia, quae Poro duce exercitum comitabantur: restant septuaginta novem millia. quem ad numerum si addimus sex fere millia bello adhuc Indico amissi aut pugnis caesi aut morbis consumpti aut denique praesidio relicti in urbibus conditis vel amplificatis, fiunt LXXXV fere millia eorum quos secum rex duxit ex Bactriana.

Liceat mihi hoc loco de ducibus bello Indico exercitus singulis legionibus praefectis nonnulla addere (cf. etiam H. Droysen l. l. p. 13.)

Taxiarchi commemorantur hi: Meleager (Arr. IV, 22,7; VI, 17,3 Arrianus solus de rebus talibus accurate egit; ceteri omnino omiserunt.) Polysperchon (IV, 22,6; V, 11,3; VI, 5,5), Coenus (IV, 25,6; 28,8; V, 12,2; 21,1), Attalus IV, 24,1; 10; VI, 17,3), Philippus (IV, 24,10); Philotas (IV, 24,10), Gorgias (IV, 22,7; V, 21,1), Alcetas (IV, 27,1; V, 11,3), Balacrus (IV, 24,10), Clitus (IV, 22,7; V, 12,2): quorum tres primi iam antea taxiarchi militabant Alexandro: Meleager, Polysperchon, Coenus, Perdiccae legioni praefectus videtur esse Clitus, cum ipse Perdiccas hipparchus fieret. qua de re cf. quae infra exponam. Köchly-Rüstow l. l. p. 256 adn. 80 aliter iudicavit. Amyntae legionem frater Amyntae Attalus, qui IV, 22,1 demum cum taxi nominatur, videtur accepisse. aliter sensit Köchly-Rüstow l. l. p. 256,81; sane Amyntas ipse iam III, 27 ab Arriano nuntiatur mortuus esse. Crateri legionis post expeditionem contra Bactrianos Sogdianosque factam mentio non iam est. neque videtur Craterus dum hipparchiae praefectus est usque tale agmen minus duxisse sed copias maiores. hipparchus autem primum nominatur V, 11,3. possit eius legio pedestris relicta esse Bactris (cf. Arr. IV, 22,3); mirum sane optime bello gerendo instructos illos milites remansisse Alexandro iubente, praesertim in Indorum terras ignotas gentesque bellicosas impetum facturo. quare equidem aliter sentio: Philippus taxiarchus nobis occurrit IV, 24,10. alius est Philippus qui IV, 24,10 nominatur, qui I, 14,2—3 alius. posterioris Philippi deinde Ptolemaeum quendam (Arr. III, 8,4), iam Polysperchontem (Arr. II, 12,2 sq.) legionem duxisse licet suspicari. noster hic Philippus Crateri praefectus est legioni; qui idem est cum Philippo Machatae filio qui in Taxilarum regione satrapa manet cum exercitu: sine dubio cum propria taxi. cf. Arr. V, 8,3. Balacri milites iam in pugna contra Dareum facta posteriore commemorantur. (Arr. III, 12,3,) cum Philotas successor fuerit Cleandri, qui eodem tempore peditum mercenariorum partem duxit. restant Gorgiae et Alcetae legiones in Bactriana ut videtur formatae. illic autem paene septendecim millia peditum novorum Alexandro accessisse testis est Curtius VII, 10,11 sq. ne hoc quidem omittam: in pugna ad Hydaspem contra Porum commissa Coenus equitibus praeest. sed quisnam duxit eius taxin pedestrem? Arrianus ipse nos docet V, 16,3 tradens: *τῶν πεζῶν δὲ τὴν φάλαγγα Σελεύκῳ καὶ Ἀντιγένει καὶ Ταύρωνι προσέταξεν ἄγειν.* ac Tauron quidem, sagittariorum praetor, sine dubio et hos et Agrianos duxit; Seleucus hypaspistas et Antigenes acontistas h. e. Coeni Clitique legiones (quod infra expositum leges.) sed Coeni agmini adhuc loco ipsius Coeni erat praefectus. mox mortuo Coeno (Arr. V, 2,1) ipsius Antigenis taxis commemoratur VI, 17,3. ac videtur Coeno in legionis imperium successisse. aliam sententiam professus est Köchly-Rüstow p. 256 a. 80. Pithon denique qui primum VI, 6,1 cum legione nominatur, Cliti videtur praefectus esse taxi, quae ultima occurrit V, 12,2.

21) Curtius VIII, 5,4 tradit: *Periti* (regionis Indorum) *militares* (Indos mi-

moveretur.[22]) ipsis tamen Bactris coercendis reliquit pedites decem milia, equites tria milia quingentos.[23])

Transmisso Caucaso hodie Hindukush vocato diebus decem[24]) — nam via incessit breviore quam antea erat usus[25]) — Alexandriam ad urbem nuper conditam venit ibique aliquantum temporis moratus est. Niloxenum urbi praefectum et satrapam regionis Proexem amovit, cum male officio functi esse viderentur: eorum loco urbis quidem administratorem et praesidem Nicanorem ex amicis, totius regionis Paropanisadarum et reliquae ad Cophenem[26]) usque amnem Kabul

---

litiam perpetuo exercentes) *auro et ebore fulgere dicebant: itaque necubi vinceretur cum ceteris praestaret scutis argenteas laminas, equis frenos aureos addidit, loricas quoque alias auro alias argento adornavit.* Similia Just. VII, 7: *cui gloriae ut etiam exercitus ornamenta convenirent, phaleras equorum et arma militum argento inducit, exercitumque suum argenteis clipeis argyraspidas appellavit.* non prorsus contemnendos esse hos nuntios iudico. plurimum enim valere ad auctoritatem et regis et exercitus non modo virtutem viresque sed etiam splendorem, praesertim cum etiam Persarum exercitus tali luxuria uti solerent, optime perspexerat Alexander. quapropter etiam adorari se illo ipso tempore iussit. ceterum Arrianus VII, 11,3 demum hypaspistas argyraspidas nominat, quos item si appellant Curtius IV, 13,27 et Diodorus XVII, 57,2 iam in pugna ad Gaugamela facta, voce postea de illis inventa iam in prioris pugnae descriptione perperam usi sunt. tamen nimis rem auctam esse a Curtii auctore de toto exercitu loquente apparet; propius ad verum iam accesserit Justini auctor: ac fortasse ex illius narratione et voce argyraspidum concludi licet initio hypaspistas tantum regis voluntate argenteos habuisse clipeos et equites amicos frena equorum aurea. iam Curtius IX, 3,21 ad Acesinem Memnonem ad Alexandrum venisse dicit cum armorum XXV milibus auro et argento caelatorum, quis distributis vetera cremari iussit. tum igitur non solum hypaspistae sed omnes Macedones gravioris armaturae talibus a rege armis donati videntur esse. ex reliquis non paucos horum exemplum sane credibile est imitatos esse, ut de Antiochi Syriae regis exercitu Valer. Maxim. IX, 1 ext. 4 narrat: (Antiochi) caecam et amentem luxuriam exercitus imitatus magna ex parte aureos clavos crepidis subiectos habuit. Similem superbiam etiamsi Alexander in amicis valde vituperavit (cf. Plut. Alex. v. c. 40), tamen in armis ornandis, tum praesertim, idcirco potest tulisse quod hoc modo combustis omnibus impedimentis ad bellum Indicum non necessariis milites quodammodo praedam secum portare poterant.

22) cf. Curt. VIII, 5,1 cui quare hoc loco diffidamus non video. H. Droysen l. l. p. 57 cum scribat „was Curtius vorbringt, . . . kann den Werth eines Zeugnisses nicht beanspruchen", errat. confundit enim XXX millia Persarum admodum adolescentium — *παῖδας* nominat eos Plut. Alex. 47 et 71, *νέους μὲν παντελῶς ταῖς ἡλικίαις* Diod. XVII, 108 — qui regresso demum ex India Alexandro Susa occurrunt, cum XXX millibus iuniorum sane, sed militum, ex omnibus provinciis lectis, cf. etiam alios quos secum ex provinciis subactis duxit milites Alexander velut hippakontistas (Arr. III, 24,1), Daharum hippotoxotas (IV, 24,1), equites Bactrianos et Sogdianos (IV, 17,3), Arachotas et Paropanisadas (V, 11,3), Scythas (V. 12,2), Indos (V, 3,6 et V, 8,5); denique Zarangas Areos Parthyaeos Euaces (VII, 6,3).

23) cf. Arr. IV, 22,3.

24) A. IV, 22,4.

25) cf. Strab. XV p. 697: *ὑπερθεὶς τὰ αὐτὰ ὄρη κατ' ἄλλας ὁδοὺς ἐπιτομωτέρας.* via anno 329 Alexander profectus est, quae hodie Khawak-Pass appellatur, vide etiam Lassen. l. l. II p. 129 adn. 1, rediit via quae Kipschak-Pass vocatur cf. Schuffert l. l. p. 9.

26) Cophes veterum nunc a geographis Kabul fluvius dicitur. cf. Droysen. II, 102; Lassen. II. p. 133, Hertzberg. II p. 209. historiae Alexandri scriptoribus

hodie vocatum satrapam constituit Tyriaspem. Alexandria deinde novis aucta colonis ex finitimis et Macedonum imbellibus Nicaeam[27]) ad urbem processit, ubi nomen quasi omen belli feliciter gerendi adcipiens Minervae sacrificavit. Nicaeae quoque Alexander satis diu mansisse putandus est. praeconem enim inde ut videtur miserat, qui Taxilem Taxilarum regionis intra Indum et Hydaspem fluvios superiores sitae principem aliosque citra Indum regnantes ipsi obviam ire iuberet. ac Taxiles quidem iam inter Sogdianos versantem ad Alexandrum legatos miserat, se regnumque commissurus[28]), neque tum amicitiam mutavit sed venit. alii simul Alexandro in Cophenem versus iam protendenti[29]) reguli nonnulli occurrere, dona afferentes plurimi apud Indos aestimata et elephantos domi quos haberent viginti quinque se daturos pollicentes. grato eos animo Alexander recepit inque suo quemque regno confirmavit.

Non multum iam exercitus a Cophene fluvio aberat: plures patebant viae in Indos progredientibus.[30]) quapropter exercitum divisit Macedo:

---

graecis is fluvius et qui ex Gurband et Pandjir fluviis confluens (cf. Lezium p. 18) Logar cum Kabul recipit et inde vel Kabul vel Baran vel Lundi (ab influente Lundi vel Landi) ab incolis nostris temporibus appellatus in Indum se inmittit. Kabul autem et *Κωφῆς* nomina non eadem esse mihi quidem certum est. prioris nominis vox indica Kapila, posterioris Kubhâ videtur esse. principes populi in vallibus Gurband, Perwan, Pandjir, Nigrow fluviorum antequam coeunt et circa Alishang et Alingar (cf. Ritter, Asien V, 245) iam ab antiquissimis temporibus habitantis, Kôhistani, Afghanisque non plane subiecti, Kowânîn nominantur cf. Lassen I, 430 adn. 2. primo saeculo christiano ineunte vel paullo ante Kaofu nomen genti Iueitschi populi datum esse idem Lassen testis est II, 813, qui illud nomen cum Kabul nomine confert. melius ad Kohistanos referri puto. altero saeculo p. Chr. imperium Kaofu a Chinesiis commemorari Kruse dicit (p. 181) cuius incolae similibus atque Indi moribus usi sint; iam quod hodie Kafirn vel Kauffirn populi illi in septentrionali parte Kabulistan terrae habitantes vocantur, significantur quidem illo nomine homines fidei islamiticae non dediti, tamen facilius id nomen adhiberi potuisse puto, cum simili nomine Kaofu iam antiquitus ibi gentes appellatae sint. nescio quam rex regionem trans Cophenem ad meridiem sitam in dicionem redegerit. nam cum ab Arachotis veniret in Paropanisadas via usus esse videtur, quae hodie conectit Ghâzni-Meidan-Kârikâr, ut valde dubium sit, num iam tum ad Cophenem accesserit et postea Cophenem transgressus non est. quare non intellego Droyseni adnot. II p. 102,3.

27) Nicaeam urbem eandam fuisse atque Ortospana contendit Car. Ritter l. l. p. 16 (cf. etiam Schuffert. p. 9.) negaverunt iure Droys. II. 102 adn. 4 et Lassen. II p. 133, alii. vide quae supra de Alexandriae situ scripsi. si inter eas comprehenditur urbes quas Diodorus XVII, 83,2 commemorat tribus vel quattuor fere milibus geographicis ab Alexandria absitas conditas esse, Nicaea fortasse ad Alingar fluvii ripam erat. inde iam in Cophenem versus duxit Alexander. atque Lassen. II, p. 132 nomen eam invenisse ex omine belli feliciter contra Indos gerendi suspicatus est. Wilson: Ar. ant. p. 183 urbem non ab Alexandro conditam sed nomen tantum proprium Indicum Jayapur graece redditum esse putat Nicaeam.

28) cf. Diod. XVII, 86,4.

29) v. Arr. IV, 22,6.

30) v. Droys. II, 104 a. 1. Strabo quae affert p. 697: *ἐπυνθάνετο πρὸς ἕω* nisi in universum de partibus Indiae et meridionalibus et septentrionalibus intellegi nequeunt. cumque scriberet: *διέβη τὸν Κωφῆνα* confudit fortasse

Hephaestionem et Perdiccam in Peucelaotidem misit regionem ad Indum cum Gorgiae Cliti Meleagri legionibus et equitibus amicis ex parte dimidia et mercenariis omnibus. qui et oppida in itinere sita omnia vi expugnarent aut foedere icto in societatem reciperent et ad Indum procedentes navigia pararent ad fluvium superandum necessaria. proficiscebantur secundum Cophenem fluvium via ut videtur, quae nunc Karrapa-Pass vocatur.[31]) duces et obsides quasi comitabantur Taxiles ceterique Indorum reguli qui ad Alexandrum venerant. ita regiones quas peragrabant paene omnes facili opera in dicionem redigebant. navigia cum plura flumina superanda essent aedificavere, quae soluta plaustris vehi possent, ubi opus essent, coniungi.[32]) neque diu ad Indum venerant cum Astes[33]) Peucelaotidis hyparchus, qui cum Macedonibus antea ut ceteri principes amicitiam et societatem inierat, deficere conatus est.[34]) cuius defectionis caussas nescimus, licet tamen suspicari, videtur enim regionis sibi subditae fines, ante adgressos Macedones, extendisse paullatim eiectis aliis aemulis. ut urbe sua movit Sangaeum.[35]) hic ad Taxilem tum venerat. idem fortasse tunc ab Hephaestione impetravit ut in regno vetere restitueretur. quod male ferens Astes contra eum et Macedones

---

Cophenem cum Choe fluvio Arriani (IV, 23,2), Koa a Claudio Ptolemaeo, hodie Konar (Khunar) vocato. nam hunc traiecit Alexander, non Cophenem (Kabul), cuius ne nomen quidem novit Claud. Ptolemaeus, quamquam de flumine ipso scripsit: VI, 18 *καὶ ὁ συμβάλλων τῷ Κώα οὗ αἱ πηγαὶ ἐπέχουσι μοίρας ριε λδ∟́*. ceterum legati Alexandri, Hephaestio et Perdiccas bis transmisere Cophenem inferiorem. vide itinerarii auctorem et q. s. . erravit Lezius p. 26. Alexander via illa antiqua, cuius vestigia, ut supra dixi (v. adn. 13 fin.) hodie quoque exstant, progressus est in sinistra ripa Cophenis ad confluentes Coam et Cophenem fluvios, quorum priorem paullo supra eum locum transmisit.

31) Droys. II, 103 sq., Hertzberg II p. 210 (Schuffert p. 10) ad ripam Cophenis dextram processisse eos contenderunt. Lass. II, 126 non aperte dicit, tamen scit p. 127 adn. 3 Orobatim urbem ad viam fuisse sitam, quae hodie Khaiber-Pass nominatur. nusquam nobis traditur Alexandrum aut eius legatos a latere Cophenis meridionali urbes expugnasse aut contra hostes dimicasse; cum tamen alia atque Alexander via legati processisse videantur. cumque tertia via, quae modo cis, modo trans fluvium flectens se vertit (vide quae de ea Schuffert p. 10 ex „Petermanns Mitteilungen" 1878 p. 471 attulerit) vix ingredi possit exercitus, cumque denique Strabo Alexandri temporibus transmissum esse Cophenem tradat (quamquam de Alexandro ipso rettulit, quod in legatos quadrare videtur) mihi quoque credibile est, via Khaiber-Pass nominata legatos traiecto Cophene in meridionalem partem esse progressos; iterumque eos in Peucelaotide transisse Cophenem in septrentrionalem partem procedentes. nam addi licet, Alexandrum certe in septentrionali Cophenis parte profectum venisse in regionem, ubi antea Hephaestio et Perdiccas urbem expugnatam muro circumdederant, cf. Arr. IV, 28,5 et quae ego de hac quidem re copiosius exposui.

32) Curt. VIII, 10,3 cui non caussa est cur hoc loco fidem denegemus.

33) videtur nomen non proprium fuisse sed regium, velut Taxiles Taxilarum rex vocabatur nomine regio, proprio Mophis, cf. Droys. II, 114, a. 1, Lass. I p. 502 a. 5. II, p. 134 a. 4. appellabatur autem populus Astaceni. de quibus vide quaeso quae infra scripserim.

34) ita explico Arriani *νεωτερίσας* IV, 22,8. vide etiam Lezium p. 30 a. 1.

35) Sangaei nomen Indicum Sangaja fuisse, quod victoriam significat, satis probabiliter coniecit Lassen II, 135 adn. 3.

arma cepit. sed perdidit et se et urbem[36]) quo confugit. Orobatis[37]) appellabatur urbs, et natura et opera munita hominum: ut triginta dies obsessam demum Hephaestion expugnaret. ipse Astes in urbe necatur. urbi instauratae et munitae praeficitur Sangaeus. Peucelaotidem Alexandro ipsi appropinquanti interea pacandam Hephaestion Perdiccasque relinquentes ad Indum rursus rediere regis mandata perfecturi.

Quae dum ab Hephaestione et Perdicca geruntur Alexander ipse cum hypaspistis amicorum equitatu dimidiato, cum pezhetaeron qui appellabantur legionibus et sagittariis; cum Agrianis et hippacontistis in Aspasios[38]) et Guraeos processit. relicto Cophene flumine neque

36) urbem illam, si eadem est atque Orobatis urbs (cf. Droysen. II, 114), in parte Cophenis fluvii septentrionali debemus quaerere; eandem autem esse eam ex ipso Arriano cognoscemus, qui breviter IV, 28,5, amplius IV, 22,8 quid in itinere Hephaestion et Perdiccas gessissent exposuit. atque loco posteriore Arriani *καὶ οὗτοι ὡς ἀφίκοντο πρὸς τὸν Ἰνδὸν ποταμὸν ἔπρασσον ὅσα ἐξ Ἀλεξάνδρου ἦν τεταγμένα* narrat. tum refert de Aste rebellante. IV, 28,5 primum de urbe expugnata et munita scripsit, deinde pergit: *ὡς δὲ ἀφίκοντο* (*πρός τ. Ἰνδ. π.*) *ἔπρασσον ἤδη ὅσα εἰς τὸ ζεῦξαι τὸν Ἰνδὸν ὑπὸ Ἀλεξάνδρου ἐτέτακτο.* ex comparatione locorum duorum primum apparet eandem esse urbem cum Orobati, et errare Hertzberg. II, 210 Lass. II, 135 Spiegel: eran. Alterth. II, 564. iam quod differunt loci, ambos ita coniungemus: Hephaestione et Perdicca ad Indum progressis rebellat Astes; redeunt illi et urbem expugnant, quam ille occupaverat, interea Alexander appropinquavit; quo audito ad Indum revertuntur reliqua Peucelaotide nondum tota in dicionem redacta: Alexander ipse iam Peucela urbem deditione recipit.

Quaerendum est, ubi urbs illa Astis aedificata fuerit. Arrian. Anab. IV, 28,4 haec tradidit: *τὰ μέν δὴ Ὦρα καὶ τὰ Μάσσαγα φρούρεα ἐποίησεν ἐπὶ τῇ χώρᾳ τὰ Βάζιρα δὲ πόλιν ἐξετείχισε. καὶ οἱ ἀμφὶ Ἡφαιστίωνά τε καὶ Περδίκκαν αὐτῷ ἄλλην πόλιν ἐκτειχίσαντες — Ὀρόβατις ὄνομα τῇ πόλει ἦν καὶ φρουρὰν καταλιπόντες ὡς ἐπὶ τὸν Ἰνδὸν ποταμὸν ᾔεσαν.* in parte Cophenis septentrionali Alexander Indum transgressus est neque Cophenem ab Hephaestione et Perdicca Orobati urbe instaurata ad Indum proficiscentibus superatum esse dicit Arrianus. iam qua de caussa omnino hoc loco refert Arrianus Orobatim novis muris instructam esse, si urbs in alia prorsus regione sita fuerit? quam equidem arbitror in confinio fuisse Peucelaotidis et Assacenorum regionis, neque ita procul ab Horis et Massagis urbibus absitam.

37) nomen fortasse urbis ad Gandararum urbem referendum est, quorum caput vetus erat Girivraga (Lass. II, 151 a. 5); significat vox „Bergweide". idem nomen erat capiti vetusto Kêkejarum (Lass. I. p. 350 a. 1.) Gandarae autem etiam Ptolemaei temporibus geographi intra Suastum et Indum habitabant. vide l. VII, c. 1 *μεταξὺ δὲ τοῦ Σουάστου καὶ τοῦ Ἰνδοῦ Γανδάραι καὶ πόλεις αἵδε· Ποκλαΐς* (= *Πευκελαῶτις*) *κτέ.*

38) Aspasii cum Hippasiis, Guraeis, Assakenis idem erant populus; sine dubio Indicus; epos Indorum laudat equos Açvaka, populi indici (vide Duncker, Gesch. d. Alt. III, 12); etiam hodie circa Khunar fluvium populus exstat Siah Posch h. e. nigris vestibus induti; nigris enim utuntur caprinis pellibus. Atque Strabo quidem XV p. 688 narrat, Herculem ter rupem Aornon vocatam (in Assakeni regione sitam) prope Indum oppugnasse et ter repulsum esse: remansisse autem eius comites in terra finitima eorumque *ἀπογόνους εἶναι τοὺς Σίβας* (cf. Siah Posch) *σύμβολα τοῦ γένους σῴζοντας, τό τε δορὰς ἀμπέχεσθαι καθάπερ τὸν Ἡρακλέα κτέ.* (vide etiam Schuffert l. l. p. 12.)

Açvaka autem vel, cum açva et açpa idem sit Indice, Açpaka proprium nomen aut vertere Graece „Hippasii" („Hypasii" ubi legitur nisi depravatum non est memoria scribentium, pro Hippasii), cum açva Graece sit *ἵππος*, aut sonum spectantes vocis reddidere „Assakeni". Aspasii quasi mixtum nomen est ex Indico et Graeco. eiusdem populi pars etiam Guraei habendi sunt Arriani

transmisso paullulum adverso Choe[39]) fluvio via montana eaque aspera profectus est. quo difficulter superato — nam a Paropaniso

---

(IV, 23,1. 25,6,) fortasse etiam Masiani Strabonis (XV, 691). dubium adhuc iudicium de Astacenis. mea quidem sententia haerent nimis viri docti in verbo Astacenorum (unde derivatum uidetur fuisse nomen regis Astis); nam Astaceni videntur esse „octo urbium incolae". urbes sunt hodie hae: Tangi, Shirpao, Umrzai, Turangzai, Usmânzai, Rajur, Chârsada Parang (Nisata?) cf. Cunningham l. l. I p. 50et chartam IV. caput hodie Hashtnagar „eight cities" Cunn. l. l.: the people themselves refer the name of H. to the „eight towns" which are now seated chose together along the lower course of the Swât river.

Quod si verum est, nil impedit, quominus totam intra Koam vel Choem et Indum fluvios sitam regionem populum tum tenuisse unum existimemus: Assacenos vel Gandaras Indorum qui postea incursionibus gentium septentrionalium scythicarum saeculo ultimo ante Chr. n. exeunte inchoatis pressi Cl. Ptolemaei temporibus geographi inter Suastum et Indum habitaverint, quorum urbs nominatur ab illo Porklais (VII, 1).

Singulae gentes quotnam fuerint et ubinam consederint si quaerimus inspiciamus praeter Arrian. IV, 23,1, ubi regem narrat processisse in Aspasianorum, Guraeorum, Assacenorum regiones, eundem Ind. I, 1, ubi Astakenos refert et Assakenos ct Nysaeos habitare intra Indum Cophenemque fluvios. quem supplere possumus Strabonis nuntio (XV p. 698 in.): *μετὰ μὲν οὖν τὸν Κώφην ὁ Ἰνδὸς ῥεῖ. τὸ δὲ μεταξὺ τούτων τῶν δυεῖν ποταμῶν ἔχουσιν Ἀστακηνοί τε καὶ Μασιανοὶ καὶ Νυσαῖοι καὶ Ἱππάσιοι. εἶθ' ἡ Ἀσσακανοῦ ὅπου Μασόγα πόλις, τὸ βασίλειον τῦς χώρας. ἤδη δὲ πρὸς τῷ Ἰνδῷ ἄλλη πόλις Πευκελαῖτις πρὸς ᾗ ξεῦγμα γενηθὲν ἐπεραίωσε τὴν στρατιὰν κτἑ.* cuius Hippasii cum iidem sint cum Arriani Aspasiis, hos autem Alexander Choe amne superato primos aggressus sit, Strabo populos singulos enumerans, ab oriente ad occidentem incipiens procedere circulum confecit (cf. etiam Arr. Ind. 1,1.) itaque Astacenos reperiemus ad Cophenem habitantes intra Indum et Landi — Swat et Pangkora fluvii coniuncti appellantur Landi (videtur is esse quem *Μάλαντον* nominat Arrianus Ind. 4,11: *Κωφὴν δὲ ἐν Πευκελαήτιδι ἅμα οἷ ἄγων Μάλαντόν τε καὶ Σόαστον καὶ Γαρροίαν ἐκδιδοῖ εἰς τὸν Ἰνδὸν*) — hodie nominatum amnem, sed propius ad posteriorem considentes. quorum regio num tum usque ad Astor fluvium pertinuerit in Indum ex Kaçmira influentem quod sumpsit Lassen. II, 142 idem nomen et fluvii et Astacenorum esse ratus, dubitare licet. etiam quod nomen gentis explicat „Volk des Westens" mihi parum probabile est. porro Peucelaitis (vel Peucela cf. Arrian. Ind. I, 8 vel Peucelaotis cf. Arr. IV, 28,6) caput fuit Astakenorum regionis. nam Astem Peucelaotidis regionis hyparchum fuisse Arrianus testatur IV, 22,8. iam Assakeni non ad Cophenem, sed magis septentrionem versus circum Landi et Suwat fluvios ad Indum usque videntur habitasse. nam Hora in urbem Abhisares rex auxiliarios miserat (Arr. IV, 27,7), neque veri est simile, Hora Assacenorum urbem ita procul ab Indo fuisse sitam. porro intra Khunar fortasse et Landi fluvios propius ad Cophenem Masiani, magis ad septentrionem Nysaei sive Guraei circum Pangkora fluvium (vide etiam Cl. Ptolemaeum VII, 1, qui infra Lambatas et Suastenos Goryaem regionem, intra igitur Khunar et Suastum (Swat) fluvios, sitam esse putat,) Aspasii denique sive Hippasii supra Masianos, iuxta Guraeos ad Khunar (Choem) fluvium versus terram colebant. ut hoc addam: videtur mihi errasse Lassen. I p. 502 a. 5 qui Strabonis Masianos eosdem putavit cum Massagorum urbis incolis ut falso nomen Masianorum ex Massagenorum depravatum esset. fuit tempus cum adstipularer, nunc nego. nam non adducor ut Strabonem tam neglegenter egisse arbitrer qui post Masianos *τὴν Ἀσσακανοῦ* commemorat cum urbe *Μασόγα*. ceterum apud eundem Strabonem exstat in codicibus XV p. 691 *ἔντε τῇ Ἱππασίων καὶ τῇ Μουσικανοῦ γῇ* ubi *Ἀσσακανοῦ* flagitatur, melius tamen *Μασσακανοῦ* servari posset. regio quaedam et fluvius nomine Indico Maçakauatî vocantur, ubi habes k illud cf. Lass. I, 502 a. 5. tum etiam Massaceni essent derivati sine dubio de nomine urbis Massaka quam vocis formam servavit Arrian. Ind. 1.

39) multi recentiores putant critici fluvium Choem, qui apud Arrianum

decurrens undosus erat et vehemens — in sinistra eius ripa Craterum[40]) cum peditibus passim sequi iussit. ipse adsumptis equitibus omnibus et Macedonum peditibus fere DCCC cum scutis pedestribus in equos impositis[41]) celeriter duxit, audito colentes illam regionem barbaros confugisse in montes et urbes munitas. medius tum fere fuit mensis November[42]) et regiones montanae nivibus opertae. atque urbium statim primae in itinere sitae exercitum admovit. processit autem via quae hodie conectit Khunar-Paschat-Nawâgâi. facile compulit, qui pro urbe occurrebant, in ipsam. neque tamen urbem duplici muro cinctam oppugnare illo die ausus est. nam et militis ex itinere fatigati, neque Craterus adhuc aderat cum peditibus et machinis oppugnatoriis. ipse etiam rex telo per loricam in humerum leviter ictus erat et Ptolemaeus Lagi f. vulneratus et Leonnatus. castra igitur munivit, ubi potissimum urbs expugnari posse videretur. postero die sub lucem, cum interea Craterus[43]) accessisset, murum exteriorem minus bene exstructum facili opera superabant Macedones, ab interiore tamen recessere demum barbari, cum scalae adiacerent et telis omni ex parte ferirentur qui propugnare vellent. neque tamen regi se dedere sed portis reclusis in montes effugere conabantur. quorum pars in ipsa fuga tollitur; quos vivos cepere omnes, quod Alexander vulneratus esset[44]), interfecere Macedones; plurimos in montes urbi propinquos licuit evadere, urbem ipsam ferro ignique vastavit Macedo.

---

nominatur, eundem esse atque eum qui hodie Alingâr appellatur vel Kow cf. Hertzberg. II p. 212 et sane similiter sonat Kow et *Χόης*, tamen ne hac vocis similitudine moneamur cf. Lass. II, 137. supra ad Alishang fluvium Alexandriam conditam esse dixi, unde Alexander ad Cophenem versus progressus est. iam vix Alingâr Choes esse potest. quare equidem Lassenium sequor, qui aliis de causis (cf. II, 136 sq. 138.) Choem et nostratium Khunar (ab urbe Khu-nar = Khu-nagara appellatum) putavit esse eundem. Ptolemaeus (VII, 1,26 sq.) vocat *Κόαν*, eodem fere nomine atque Arrianus; significatur autem apud Ptolemaeum illo nomine Khunar fluvius. Koas apud illum seiungit Paropanisadas et Indos.

40) cf. Arrian. IV, 23,2. Curt. VIII, 10,4.

41) videntur fuisse hypaspistae (propter scutum pedestre commemoratum). cf. Droysen II, 105.

42) cf. Strabon XV p. 691 *μετὰ δὲ δυσμὰς πλειάδων*.

43) sane de Cratero aggresso nihil ab Arriano refertur. sed postea adest Craterus (cf. IV, 23,5) et machinas sine dubio ad urbem expugnandam aptas ipse secum ad Alexandrum duxit. Curtius VIII, 10,5 claris verbis dixit: 'iam supervenerat Craterus'.

44) ita Arrianus IV, 23,5 narrat. Curt. VIII, 10,4 Alexandrum tradit militibus mandasse ut omnes quam multos possent necarent, terrorem incussurum genti nondum arma Macedonum expertae. Etiam Diodori in indice haec repeřiuntur: *ἀναίρεσις ἄρδην τοῦ πρώτου ἔθνους πρὸς κατάπληξιν τῶν ἄλλων*. quamquam Persepolis urbis incendium a recentioribus nonnullis excusatur, quasi terrorem eo magnum voluerit Alexander Persis inicere, tamen non adducor, ut Diodori Curtiique auctori fidem habeam. accedit quod omnes illius urbis incolas trucidatos esse refert Curtius, cum Arrianus dicat plerosque in montes non procul absitos fugisse. Alexander igitur suum vulnus et virtutem hostium aegre ferens Macedonum irritatorum crudelitatem videtur passus esse. iam cum et Diodorus et Curtius in hac re consentire videantur, apparet Aristobulum Curtii auctorem non fuisse (quod voluit Lezius p. 78).

Barbari vicini tam horribili et invicto hosti resistere non iam ausi aut urbibus relictis combustisque in montes aufugere aut deditionem fecere. Andaceni[45]) quidem benevolenti regi se tradidere. Craterum ibi cum ceteris peditum ducibus legionibusque reliquit, qui urbes circumcirca sitas resistentes expugnaret et regionis administrationem praesenti statui rerum adaptatam institueret.[46]) ipse cum hypaspistis, sagittariis, Agrianis, Coeni Attalique legionibus, equitum agemate, reliquorum amicorum equitum quattuor fere[47]) turmis hippotoxotarumque parte dimidia fluvium Guraeum[48]) versus Euaca[48]) in

45) Andaca urbs est apud Arrianum, quae quo loco sita fuerit, hodie certo nequit dici. qua caussa commotus Alexander eam muniverit nisi suspicari non licet. videtur ut viam a Choe in Aspasiorum ducentem fines tueretur; simile quid de Arigaeo coniecit Droysen II, 107. vide etiam Schuffert. p. 12, qui Khunar novum —, Paschat hodie vocatam urbem, paullo infra Tschigar Seraj sitam, eandem putat cum Andaca urbe Arriani, item Khunar (vetus) urbem cum prima urbe Aspasiorum. illa via sane Alexander processisse videtur et Paschat urbs loco opportuno sita est cum inde altera via secundum Khunar ipsum ducat ad Tschigar Seraj et Tschitral urbes, altera secundum fluvium in Khunar se immittentem ad urbem Nawâgâi, et re vera inde ab Andacis Alexander flectit iter *ὡς ἐπὶ τὸν Γουραῖον*, ut infra videbimus. quare concedemus, circa Paschat sita fuisse Andaca. erravit autem Wilson Ariana Antiqua p. 187, qui eandem urbem putavit Arriani Andaca et Curtii (8, 10, 19) Acadira. ceterum de nomine indico Andaca = Andhaka vide Lassen I p. 625 et app. XXVIII, qui in poemate epico gentem Andhaka una cum Iâdava et Bhôgá nominari commemorat. cf. Lefmann: Ind. Gesch. p. 370.

46) Lezius p. 12 mire scripsit 'Craterum Andacis relictum locum communire iussit' adnotans (4) Arr. IV, 23,5 „*καὶ τὰ κατὰ τὴν χώραν ὅπως ξυμφορώτατα ἐς τὰ παρόντα κοσμεῖν.*“ 'Alius enim sensus in verbis inesse non potest.' Arrianus autem *τὴν χώραν*, non *τὴν πόλιν* nominavit atque adeo *τὰ κατὰ τὴν χώραν*. res igitur in illa regione ut administraret atque Alexandri brevem victoriam fructuosam ut reddat rex Cratero imperat. vide etiam quae praecedant apud Arrianum: *Κράτερον . . . καταλείπει . . . ἐξαιρεῖν ὅσαι ἂν ἄλλαι πόλεις μὴ ἑκοῦσαι προσχωρῶσι*: dubitari omnino nequit. iam utrum eadem via atque Alexander Craterus postea processerit, an alia usus sit, mihi quidem vix dubium est. Droysen II p. 106 quod dixit: 'Craterus wurde — zurückgelassen, die übrigen Städte in der Nähe zur Unterwerfung zu zwingen und dann über das Gebirg nach Arigaeon im Thal des Guraeus zu marschieren' posterius traditum non est, neque videtur Arigaeon in valle Guraei sita fuisse, quod sumpsit Droysen l. l., cf. Lassen II, 139 a. 1. nam inde ab Arigaeo proficiscens *πρός τι ὄρος* venit et iam hostibus victis in terram Assacenorum procedens intrat Guraeorum fines et ipsum Guraeum transit Alexander. etiam num Bajore (Badjawar) Ritter l. l. p. 32 recte putaverit fuisse vetus Arigaeon licet dubitare. probavit sane Wilson Ar.: Ant. p. 189, veteres ruinas illic inveniri testans. Schuffert p. 13 via quae conectit Paschat Bajore Miankala Craterum, Alexandrum ipsum inde ab urbe Birkot per vallem Barawal et iugum Dorahpass Arigaeum-Miankala progressum esse putat. ne obliviscamur: nullo loco a veteribus indicatur alia via duxisse Craterum, Alexandrum alia; porro Alexandrum ipsum praesertim cum hiems esset non longius in septentrionem versus progressum esse puto quam ut viam exercitui et supplementis muniret, ut etiam valde dubitem, num Alexander in eam regionem pervenerit, ubi hodie Miankala extat. immo et Alexander et Craterus post eum mihi videntur eadem via profecti esse, quae hodie conectit Paschat-Nawâgâi-Lakari-Sadargarat (e regione Abâzai, ad Guraeum-Landi).

47) *μάλιστα* (Arr. IV, 24,1) credo Ptolemaei indicare videtur, varium in hac re ab auctoribus prioribus traditum esse numerum.

48) In codice uno traditum est: *ὡς ἐπὶ τὸν ποταμὸν τὸν Εὐάσπλα*, cum in

urbem movit, quo Aspasiorum hyparchus recesserat; quem debellare oportuit, nisi hostis periculosus in tergo remanebat. ita magno confecto itinere altero die ad urbem venit, quam ille occupaverat.[49]) barbari cum regem appropinquare cognovissent urbe incensa in montes excesserunt. quos in fuga Macedones assecuti magna affecerunt clade. hyparchum ipsum Ptolemaeus Lagi f. necavit fortiter pugnantem. cuius super corpore acre factum est proelium: quod vix Alexander ipse cum peditibus qui ex equis descenderant Ptolemaeo auxilio veniens finire posset. traiectis deinde montibus Alexander Arigaeum[50]) urbem incensam ab incolis repperit ac desertam. quae urbs cum opportuno loco sita videretur, Cratero qui eo cum exercitu ex Andacenorum et urbe restituta et regione finitima pacata advenerat, munienda commissa est. qui ex militibus bello inutiles recepit et qui

---

optimo codice reliquisque exstet: *ὡς ἐπὶ τὸν ποταμὸν τὸν Εὔας πόλεως*. quisnam fluvius Euaspla fuerit nescimus. plurimi inde a Car. Rittero librariorum culpa depravatum existimaverunt ex Choaspe vel Suasto. correctura sane non ita difficilis est. sed ut alia omittam: recte si hoc priores critici coniecissent, et Choaspes ille ex Euaspla redintegratus idem si fuisset atque Khunar hodie vocatus amnis, — nam paene omnes Choaspem et Choem eundem arbitrati sunt, sed vide, quae infra de Choaspe dixerim, — ubinam dicitur fluvium illum traiectum esse ab Alexandro? scripsit Arrianus *ὡς ἐπὶ τὸν ποταμὸν τὸν ⟨Εὐάσπλα⟩ προὐχώρει*. fluvium tamen eum qui hodie Khunar est, satis magnum traiecit rex, neque si Euaspla vel Choaspem victis prope ad eum hostibus Alexander transmisisset, Arrianus tacuisset; quare Lassen. II, 136 codicis servavit scripturam atque Euaspla eum esse voluit fluvium, qui ab oriente parte veniens se inmittit in Khunar amnem. sed optime nuper Lezius p. 80 sq. contendit, *τὸν ποταμὸν τὸν* vix potuisse hoc loco ab Arriano adhiberi, cum ignotum adhuc fuisset flumen; iam propter sequentia *ἀφίκετο πρὸς τὴν πόλιν* antea nomen urbis afferri debuisse; addere poterat Lezius, *ἵνα* non bene posse referri ad *ὡς ἐπί*. omnibus rebus perpensis equidem non eicio cum Lezio *τὸν ποταμὸν τὸν*, sed cum postea Guraeum ab Alexandro transmissum esse Arrianus tradat, cum in optimo codice reliquisque omnibus praeter unum legatur *τὸν Εὔας πόλεως*, fuit cum verba corrupta ita emendanda esse putarem: *ὡς ἐπὶ τὸν ⟨Γουραῖον⟩ ποταμὸν ἐς Εὔασπα πόλιν*. (de nomine Euaspa cf. Zariaspa, alia; significaret urbem Aspasiorum). sed cum Arr. VII, 6,3 praeter Bactrianos, Sogdianos, Arachotos, Zarangos, Arios, Parthyaeos *καὶ ἐκ Περσῶν* (nisi mavis *Παροπαμισαδῶν* cf. Arr. V, 11,3 et VI, 2,3 *Φιλίππῳ δὲ τῷ σατράπῃ τῆς ἐπ' ἐκεῖνα τοῦ Ἰνδοῦ ὡς ἐπὶ Βακτρίους γῆς*, cf. V, 11,3. VI, 15,3 Plin. VI, 78: plerique ab occidente non Indo amne determinant, sed adiciunt quattuor satrapias: Gedrosos, Arachotos, Arios, Paropanisidas, ultimo fine Cophete fluvio ...) *οἱ Εὐάκαι καλούμενοι ἱππεῖς καταλοχισθέντες εἰς τὴν ἵππον τὴν ἑταιρικὴν* commemorentur, cum ex terra inter Khunar et Indum sita Nysaeos illos equites trecentos Alexander secum in Indiam duxisse feratur, postea remissos (V, 2,4. VI, 2,3) cumque illas regiones intra Khunar et Indum iam antiquitus Persis subditas fuisse satis constet, (vide etiam Arriani hist. Ind. 1,3 *Περσέων ἤκουον* [*οἱ Ἀστακηνοὶ καὶ Ἀσσακηνοί*, antea Medis oboedientes]), urbem equitum illorum *Εὔακα* fuisse et hoc nomen nostro loco restituendum esse arbitror. de nominis forma vide alias in illis regionibus urbes, velut Andaka, Massaka. lego igitur: *ὡς ἐπὶ τὸν Γουραῖον ποταμὸν ἐς Εὔακα πόλιν*.

49) vide Arr. IV, 24,1: qua via progressus sit rex ut scias vide adn. 46.

50) non eadem est urbs quae apud Curtium Acadira nominatur; quamquam putat etiam Lezius p. 82. quidni plures urbes inflammatas relictasque ab incolis Alexander potuit reperire? ceterum de urbis situ videas quae supra scripserim, et infra de Choaspe amne.

sua sponte accederent ex accolis; cum Alexander procederet quo barbarorum plerosque confugisse audiverat, venit ad montem quendam, cuius ad radicem castra posuit; ubi Ptolemaeus pabulatum interea missus, longius tamen manu exigua ut specularetur progressus nuntiavit ignes se vidisse barbarorum plures quam in Alexandri castris. atque ignium quidem multitudine rex diffidit, barbaros tamen illic adesse cognovit. quos exercitus parte in castris relicta — nam adsumpsit tantum, quot ad hostes debellandos satis esse viderentur — tempore postmeridiano celeriter adortus est.[51]) cum ignes prope iam cernerentur in tres partes copias divisit[52]); quarum uni Leonnatum praefecit cum Attalo Balacroque coniunctum; Ptolemaeum Lagi f. hypaspistarum regiorum parti tertiae, Philippi Philotaeque agmini, sagittariorum milibus duobus, Agrianis equitibusque dimidiatis; reliquos ipse duxit, qua barbarorum plerique cernerentur. loca occupaverant barbari superiora: adiuti auxiliariis Indicis ut videtur. cum tamen Alexandri agmen parvum conspicerent appropinquans, confisi ipsorum multitudine ex locis superioribus descenderunt in planum. quos atroci proelio vicit Alexander, cum Ptolemaeus hostibus clivum tenentibus oppositus separata agmina admoveret ubi facilius oppugnari ille posse videretur, non toto cincto clivo, sed loco dato barbaris si fugere vellent; qui propter loci iniquitatem et Indorum fortitudinem praecipuam vix hostes sibi occurrentes fugavit. ac ne Leonnatus quidem ceterorum imminuit victoriam sed auxit. fugientium iam multa millia caesa sunt, plus quadraginta millia capta; comprehensa etiam boum ultra CCXXX millia[53]), quorum praestantissimos pulchritudine et magnitudine Alexander colendae terrae causa in Macedoniam voluisse mittere Ptolemaeus ipse testis est.

Inde in Assacenos Alexander in animo habuit ducere, quos intra Suwat et Indum hodie vocatos amnes habitantes equites duo millia,

---

51) Lassen II 139 scripsit: 'Durch einen kühnen nächtlichen Angriff wurden die Inder überwunden'. cautius Droys. II, 108 'am Abend lagerte er am Fuße der Berge'. cf. Hertzberg II p. 216 nihil de tempore pugnae referunt auctores. ipsa pugna docet et eius descriptio ab Arriano data, non nocte hostes Macedonem aggressum esse, ne vespera quidem. quod criticos videtur commovisse: ignes illi in castris hostilibus commemorati, non oblivisci debemus mediam tum fere hiemem fuisse cf. Strabon. XV, 691.

52) quibus in locis singulae partes collocatae fuerint nescimus. cf. Hertzberg II, 217 'Mirandum est in Leonnati agmine leviter armatos plane deesse' Lez. p. 23 adn. 2 cum scriberet, praetervidit Leonnato praeter eos milites quos ipse duxit, subiunctas fuisse Attali et Balacri legiones. Leonnatus autem poterat leviter armatis ipse praefectus esse. VI, 18,3 cum maiore imperio commemoratur, equites et pedites graviter leviterque armatos ducens, idem VI, 20,3 Horis relinquitur cum Agrianis omnibus et aliis peditibus et equitibus. iam ex loco nostro efficitur et hypaspistas fuisse regios et simplices hypaspistas. priores interpretatus sim hypaspistarum omnium optimos fortissimosque, quos Alexander ipse exercitui reliquo praecurrens secum habere consuerat. hos regios hypaspistas fuisse arbitror, etiamsi non ubique eo nomine notantur.

53) qua de re conferas quaeso quae Schuffert attulit p. 13.

pedites triginta[54]) mitia, elephantos triginta ad bellum exornasse cognoverat et societatem inisse cum Abhisare, Abhisarae regionis trans Indum sitae regulo.[55]) Craterum Arigaei muris refectis cum militibus gravioribus armis instructis et machinis, si forte ad oppugnandam urbem opus essent subsequi iussit. ipse cum amicis equitibus et hippacontistis Coenique ac Polysperchontis legionibus et Agrianis mille sagittariisque ad Guraeum[56]) arva beata[57]) iter fecit. quae circa Guraeum sita procedenti ad Assacenos peragranda erant. atque citra Guraeum in valle fluminis in illum se immittentis procedens prope urbem venit, in valle aliquo certe fluvio perfusa ut videtur sitam[58]); quam Nysam Macedones appellaverunt[59]), cum deus ibi

54) Itinerarii auctor CVI quadraginta milia Assacenos (quos Accas nominat, cf. Curtii urbem in regionibus citra Landi prope Dara sitam Aca-dira, cuius vocis altera pars hodie iu Dhyr urbe ad Pangkora fluvium superiorem sita, fortasse etiam in Beiram-deri, Paloderi exstat) armavisse scripsit. Curtius quoque (VIII, 10,23) duodequadraginta milia peditum urbem Massaga defendisse tradidit; neque tamen XXX apud Arrianum librarii mendum pro XL putabimus. ceterum quod cod. itinerarii CVI (ed. Muelleri) servat urbem Argacum non in Andacum (Andaka Arr.) videtur corrigendum esse cum Muellero, sed in Ar(i)gaeum, quod Arigaion vocat Arrianus IV, 24,6. nam de hac urbe Arrianus refert: ἐκτειχίσαι τε προστάσσει Κρατέρῳ, de Andacis nil tale traditur, neque erant incensa ut Arigaeum itinerarii.

55) cf. Arr. IV, 27,7.

56) ut supra iam monui, Assaceni et Guraei populi eiusdem gentes erant diversae; nam quod ab aliis de Guraeis sive Nysaeis narratur, Plin. N. H. VI, 23 de Aspaganis refert. qui iidem sunt cum Assacenis, cum idem nomen indicum sit açva et açpa. ubi habitaverint Guraei si quaerimus, recte Droysen II p. 107 a. 2 Lassen II p. 140 Hertzberg II, 221 regionem quam hodie Pangkora fluvius percurrit a veteribus Guraeis cultum fuisse sumpserunt atque recte Guraeum eundem putavere cum illo fluvio qui apud Indos veteres Gaurî vocabatur. cf. Lassen II, 140 ed. adn. 6 et quae de Choaspe infra dicam adn. 67.

57) Droysen II, 109 non debuit oblivisci, tum fere mediam fuisse hiemem.

58) primum enim fertilis illa regio nisi in valle flumine perfusa cogitari non bene potest; atque recentiores adhuc sumpserunt. sane neque Arrianus V, 1 sq. neque Curtius VIII, 10, 7 sq. de fluvio narrant, sed neglegenter hoc loco Curtius egit, ut alias quoque. Arrianus suo loco Guraeum tantum amnem commemoravit, posteriore (V, 1) vel de eo tacuit. Plutarchi tamen testimonio cur fidem abrogemus hac quidem in re equidem nescio; qui in vita Alex. c. 58 tradidit: Νύσῃ τῶν Μακεδόνων ὀκνούντων προσάγειν — καὶ γὰρ ποταμὸς ἦν πρὸς αὐτῇ βαθύς, — ἐπιστὰς, τί γάρ, εἶπεν, ὁ κάκιστος ἐγὼ νεῖν οὐκ ἔμαθον; καὶ ἤδη ἔχων τὴν ἀσπίδα περᾶν ἠθέλησεν. Claudius autem Ptolemaeus quam commemorat urbem Dionysopolim in finibus Guraeorum (VII, 1: Νάγαρα ἢ καὶ Διονυσόπολις) sine dubio Macedonum illa est Nysa: Nagaram urbem ille notat paullo infra Goryam (quae fortasse eadem est atque nostratium Pangkora urbs) et paullo magis ad occidentem versus sitam fuisse. sed magnum sinum facit. Guraeus fluvius in occidentem versus ut tamen prope fluvium Guraeum sita esse possit urbs Διονυσόπολις. ceterum in Guraeorum regione Nysam sitam fuisse elucet etiam ex Arrian. IV, 23,1 qui refert προυχώρει εἰς τὴν Ἀσπασίων τε καὶ Γουραίων χώραν καὶ Ἀσσακηνῶν. iam de pugnis factis cum Aspasiis et Assacenis multa narrat; de Guraeis nil tradit, nisi peragrasse eorum regionem Alexandrum et superasse flumen Guraeum IV, 25,6. quare magna cum verisimilitudine certamen cum Nysaeis aliisque finitimae regionis incolis Alexandro in Guraeorum finibus exstitisse sumpserunt recentiores. quo de certamine suo loco tacet Arrianus, postea quasi appendicem narrationem ex veris fictisque mixtam de Nysaeis adfert V, 1 sq. de quibus ipse non habet iudicium certum,

coleretur, quem Dionysum Graecorum esse omnes arbitrabantur. inque rupibus illis multa hedera vitisque gignebatur, aquae manabant perennes, lauri baccarisque silva multa illic et pomi in Graecia iidem nascentes[60]) inveniebantur: denique iam antea putabant Dionysum Graecorum multas peragrasse terras et sui ipsius cultum instituisse; quid mirum si illuc quoque eum venisse superstitiosi illorum temporum homines credebant, praesertim cum ipsi quoque Alexandro duce simile iter ex Graecia in Indiam fecissent.

Ad urbem supra commemoratam cum pervenisset Alexander castra ante muros in silvestri loco inscius munivit. flamma propter frigus nocturnum vehementius urgens excitata oppidanorum sepulcra comprehendit, ignisque semel conceptus late propagabatur cum ex urbe canumque latratus hominumque fremitus auditus est: tum demum Macedones ad ipsam se urbem venisse cognoscunt. prima luce eductis copiis (ut videtur etiam fluvio superato aliquo certe non maiore) moenibusque obsessis hostium qui telis valde premebantur pars dedere se, pars pugnare volebant. tandem hi quoque caedibus abstinebant. ac venit oppidanorum princeps Acuphis ad Alexandrum cum triginta ex primoribus regis clementiae se et urbem com-

---

quamquam V, 2,2 (cf. VI, 2,3) equites trecentos Nysaeos apud Alexandrum militasse non ignorat.

Alterum nomen urbis, *Διονυσόπολις*, diu servatum esse ex inscriptionibus nummorum regum Graecorum Arianae apparet, qui servant litteras *ΔΙΟΝ*, quibus nisi Dionysopolim illam (Alexandri Nysam) significari non posse mea quidem sententia recte contendit Cunningham I p. 46 (erravit sane de situ urbis prope nostratium Jalâlâbâd). fortasse Danischkol urbs citra Guraeum ac prope eum sita, quam torrens praeterfluit ab occidentali parte, qui se immittit in fluvium in Panjkora (vel Landi) influentem, vetus illud nomen *Διονυσόπολις* vel potius *Διονύσου* nagara servavit. torrens ille posset esse *ποταμὸς πρὸς αὐτῇ βαθύς*, quem Alexander Plutarcho teste transnatare voluit, ut ad ipsam urbem veniret (vide chartam). citra Guraeum-Landi Nysam fuisse sitam Arrianus non modo non repugnat IV, 25,6, verum etiam indicat; iam Curtius de Nysa (et Daedalis Acadirisque regionibus) refert priusquam Alexander Choaspem, (quem eundem esse atque Guraeum Arriani infra cognoscemus), transmiserit. porro Baber ille imperator narrat, vinum pagi Bajour nominati longe optimum esse, servari autem in culleis; omnino modo in regionibus Bajour terrae proximis vinum capi.

59) cf. Plin. Nat. hist. VI, 23.

60) sequor hac in descriptione Curtium, qui rem satis, ut videtur, veritati adaptatam narrat; neque Arrianus V, 1 sq. neque Plut. v. Alex. c. 58 fidem merentur. prior ne postulat quidem. sane Lassen II, 141 Alexandrum ipsum Nysam venisse negat; legatos Nysaeos vel quo alio cumque nomine uterentur, misisse concessit. idem quod putavit, num Nysae urbis nomen e Graecis propter soni similitudinem cum vetere indico nomine Nishada adsumptum sit, num Meron vetus Indorum Meru sit, dubium. Court quidem in Journal of the Asiatic Society of Bengal vol. VIII, p. 309 de monte quodam Mahram refert; qui tamen noster Meron non potest esse, cum a parte Suasti meridionali trans Landi exstet, Nysa autem urbs in confinio Guraei atque citra eum investiganda sit. quidni alius mons eiusdem vel similis nominis a Graecis inventus esse potest? velut exstant simili nomine colles Seri — Maira in sinistra ripa Kâbul fl., paullo supra eum locum ubi in Indum influit (vide chartam Kieperti: 'Die Landschaft zwischen Kabul und dem Indus'.)

missurus.[61]) quibus facile Alexander Nysaeorum concessit libertatem utque suis legibus uterentur. constituta autem erat res publica ex optimatibus, quorum trecenti administrabant. ipsum Acuphim rex Nysaeae regioni praefecit trecentosque equites ad se mitti iussit et quasi obsides filium Acuphis et nepotem ex filia.

Priusquam ex Nysaeis profectus est in montem ascendit Alexander, Meron nominatum a Macedonibus, cuius in radice urbs Nysaeorum sita erat, in cacumine hedera lauroque referto deus ille colebatur, quem Dionysum putabant. cui sacrificavit Alexander diesque festos egit eodem modo quo domi celebrari assolebant.[62]) iam ad regionem pervenit progressus, quae Daedala[63]) appellabatur; cuius regionis urbes cum ab incolis desertae essent in montes avios fugientibus, Acadira transiit[64]) celeriter. aeque usta ac destituta hostium fuga cum reperiret, exercitum dividere coepit, pluribus simul locis hostes aggressurus: ipse unam partem duxit militum via ut videtur meridionaliore maximasque cepit urbes, de improviso hostibus oppressis domitisque; alteri parti, quae via usus est septentrionaliore, praefecit Ptolemaeum L. f., non minus felicem in plurimis urbibus subigendis.[65]) iunctis deinde copiis, eo loco, ubi hodie Abazai oppidum munitum exstat, Guraeum[66]) —

---

61) haec iam ex Arriano affero V, 2,2 sq.; nam veri aliquantulum etiam in illius nuntiis inesse videtur. illud sane aperte fictum, Acuphim ceterosque legatos cum in Alexandri tabernaculo ipsum cernerent, armis praeditum, non hominem, sed deum Macedonem habuisse. ficta etiam historia de Nysaeis, originem divinam profitentibus. tamen de saltatione illa vide quae Schuffert p. 12 sq. attulit de gente Kosmos et Siah-Posh; quamquam idem parum diligenter de loco urbis quaesivit.

62) Curtius VIII, 10,17: 'decem dies' num vere tradiderit? addere licet, Macedones illuc venientes tanto prehensos videri patriae desiderio, ut Alexander illos indulgere in loco nonnullos dies tali animi affectui melius esse quam statim progressos dolentes quasi non satis alacres esse ad pugnandum potuerit arbitrari.

63) de hac regione solus Curtius rettulit VIII, 10,19. Justinus XII, 7 Daedalos montes novit. non caussa est cur Curtio diffidamus, praesertim cum re vera progredienti a Danischkol urbe vel vico in meridiem montes Inzare iugo superandi sunt (vide chartam). illic, h. e. citra Choaspem Curtii, Daedalam regionem (vel montem, fortasse etiam urbem) quaero, ac non recte iudicavit Cunningham I, 66, qui montem hodie Dantalok vel (Pali) Dattalok vocatum, situmque trans Landi-Choaspem, paullo supra Bazaria vicum eundem esse putavit; sed supra vidimus intra Landi et Indum exstare montem aliquem Mahram, neque tamen posse eundem esse cum monte Dionysiaco Meron appellato. ceterum quae vox indica fuerit 'daedala' nescimus.

64) Acadira urbs vel potius regio ubi sita fuerit adhuc nescitur; prope vallem Guraei fluvii reperitur utque puto circa vicos Adalkor et Dara, vide chartam Kieperti s. l. (Dhyr autem illud non erat, quamquam altera pars vocis Acadira idem est; quae pars exstat etiam in nomine urbis ab Arriano commemoratae Dyrtae (IV, 30), quam Schuffert cum nostratium Dhyr eandem credidit parum diligenter). confirmat sententiam, quod superato iugo Inzare dividitur via, altera septentrionalior, Adalkor-Mamakor-Sadarganat (Abazai) conectens, altera meridionalior, per Dara-Schankar-Matta in urbem Sadargarnat reducens. quarum priore Ptolemaeum, posteriore Alexandrum usum esse ex Curtii nuntiis fortasse licet concludere.

65) cf. Curt. VIII, 10,20.

66) cf. Arr. IV, 25,7.

vel Choaspem[67]) — Landi fluvium difficulter superavit. nam profundus erat et rapidus et rotunda in ipso saxa fallebant ingredientes. tum

---

67) Strabo XV, 697 de Choaspe haec scripsit: *τὸν Χοάσπην ὃς εἰς τὴν Κώφην ἐμβάλλει ποταμὸν κατὰ Πλημύριον πόλιν ῥυεὶς παρὰ Γωρύαν ἄλλην πόλιν* (ita scribendum esse puto, collato Arriani loco IV, 23,5: *τὴν πόλιν δὲ κατασκάψας εἰς Ἄνδακα ἄλλην πόλιν ἦγε*, pro codicum *Γώρυδι ἄλλην πόλιν*) *καὶ διεξιὼν τήν τε Βανδοβήνην καὶ τὴν Γανδαρῖτιν*. Choaspes porro commemoratur in Arist. Meteor. I, 350 a. 24 et apud Curtium VIII, 10,22. Arrianus de Choaspe omnino tacet; nominatur Choem fluvium (IV, 23,2) qui idem est atque Claudii Ptolemaei *Κώας* (VII, 1,26) *Κώας* autem nisi qui hodie Khunar nominatur esse non potest. sed idemne est Choaspes? dixerunt Ritter in dissertatione saepius laudata p. 24, alii. ipsi videamus. Cl. Ptolemaeus haec dicit VII, 1,44: *μεταξὺ δὲ τοῦ Σουάστου καὶ τοῦ Ἰνδοῦ Γανδάραι*. Suastus hodie Suwat (Swat) appellatur fluitque medius inter Indum et Khunar amnes. (Swat et Pangkora fluvii coniuncti nominantur Landi [vel Landai]. Ptolemaeus autem etiam coniunctos iam fluvios Suastum appellavit.) Ptolemaei igitur temporibus Gandarae nisi inter Suastum et Indum fluvios non habitavere. (Plut.) de Alex. s. virt. s. fort. or. I, 2 tradit *ἐν Γανδαρίδαις τὸ σκέλος* Alexandro vulneratum esse; quod revera factum est cum Massagenorum urbem Macedones oppugnarent. iam de Goryae urbis situ haec tradidit Ptolemaeus VII, 1,43: *Γώρυα... ρκβ̄ λδ ν́δ*. quae si comparamus cum VII, 1,27: *συμβολὴ Κώα καὶ Σουάστου ρκβ̄ν́ |λα|γό* et VII, 1,28 *ἐκτροπὴ τοῦ Κώα εἰς τοὺς Παροπανισάδας ρκα ν́ λγ*. cf. VII, 1,26 *Σουάστου ποταμοῦ πηγαὶ ρκβ ν́*, putamus Gorya urbem mediam inter Coam Suastumque sitam fuisse, sed propius ad Suastum et exstat re vera hodie Pangkora urbs ad fluvium Pangkora, veterem Guraeum. hanc eandem fuisse nomine concedemus. idem autem si est Ptolemaei oppidum atque Strabonis — ac verisimile quidem est ita se rem habere — Strabonis Choaspes fluvius est is qui ab aliis Guraeus vocatur. (etiam si comparamus Arr. IV, 25,7 sq. et Curt. VIII, 10,22 sq. in singulis quidem nuntios differre, tamen eundem esse Arriani Guraeum et Curtii Choaspem [fluvium (Kow) Aspasiorum] manifestum est. optime nomen urbis Gory vel Gorya congruit cum flumine Guraeo). neque errasse Strabonem arbitror de Gorya referentem; nam eum fluvium qui Gorya (ad Pangkora sitam urbem) praeterfluit etiam recepto Suasto usque ad eum locum ubi in Kabul fluvium se immittit Choaspem nominat. iam Curtium videamus qui haec narrat: VIII, 10,22: superato deinde Choasque amne Coenon in obsidione urbis opulentae — Beiram incolae vocant — reliquit, ipse ad Mazagas venit'. Beira non eadem est, quae Arrianus Baziram appellat, (quam credo recte Cunningham. l. l. p. 47 chart. IV putasse sitam fuisse ubi nunc Bazar vicus extat. unde facile in petram Aornon potuere effugere Indi, neque tamen ab urbe ea quae hodie Badjawar appellatur quam alii veterem Bazira urbem esse male arbitrabantur), sed citra Massaga sita. fortasse Curtii nomen vetus servatum est ab nostratium urbe vel vico Beiramderi, quem in vicum conveniet, si quis in septentrionem progreditur ab Abazai urbe. iam inde a Beiramderi procedens perveniat in Schah-Kot oppidum, hodie munitum. nomen urbis, persicum ut videtur, significat „Königsburg", quod nomen aptissimum esset Massagae urbi, et extat ab orientali parte torrens, quem commemorat Curtius. opportuno loco situm erat Schah-Kot, si qui exercitus in regiones circa Suât fluvium superiorem sitas processurus erat, itemque illa via hostes accedere poterant, ut neglegi nullo modo ab Alexandro debuerit. illa fortasse urbs Massaga vetus fuit. ceterum viam secundum flumen Landi ipsum in vallem Suasti non praebent chartae, quas equidem vidi; quare num Manglora (ad Suastum medium) fuisse Massaga recte suspicatus sit Cunningham. I, 82 valde dubia est res. sed ut redeam unde digressus sum: Landi fluvium Alexandro transmittendum fuisse, priusquam ad urbes illas veniret. Curtius igitur si Choaspem Alexandrum fecit transeuntem aut vehementer erravit (cf. Droysen II, 112, a. 1) aut Choaspem et Landi (Suastum) eundem esse voluit. posterius equidem sumo. nam supra vidimus Choaspem Strabonis fluxisse etiam per Gandaritim, hanc autem intra Suastum et Indum sitam fuisse Ptolemaeus nobis tradidit. ceterum Suastus et Guraeus

in Assacenos iam duxit Alexander; cui cum adventare sentirent barbari aciem confectam non ausi opponere in suam quisque urbem se recepere, inde hostes defendere conaturi. itaque rex singulas urbes aggressus est. primum in maximam se vertit cum toto exercitui: Massaga, quam sperabant barbari facile se posse tueri[68]); quin mercenariis ex interiore India aggressis freti — nam erant septem fere millia — in Macedones ante ipsum murum castra ponentes cursim impetum faciunt.[69]) proelium Alexander sub ipsis muris sibi fu-

---

(quem Garroiam nominat ille) fluvii aperte ambo discernuntur a Megasthene, vide Arr. Ind. c. 4,11. idem Arrianus alium secutus auctorem in exped. Al. IV, 25,7 nisi Guraeum fluvium non commemorat. rebus igitur omnibus perpensis debemus arbitrari Alexandrum infra confluentes Pangkora et Suwat fluvios traiecisse.

Iam Hora urbs ubi sita fuerit certo vix dici potest; in universum hoc fortasse recte contendemus: Arrianus Hora narrat ab Abhisare missos esse, qui Assacenos adiuvarent. Hora igitur urbs propius ad Indum quam Massaga et Bazira videtur sita fuisse. certe intra Suastum et Indum exstiterat. (cf. Curt. VIII, 10,22, 11,1.). fortasse quae nunc ruinae exstant at the foot of the hill Rânigat quaeque nominantur Raja *Vara*'s stables (Cunn. I p. 61. chart. IV) sunt eiusdem. vide adn. 77. porro Curtius litteris mandavit VIII, 10,22: s u p e r a t o ... Choaspe ... Coenon in obsidione urbis opulentae — Beiram incolae vocant — reliquit. ipse ad Mazagas v e n i t. Arrianus eo differt quod Coenum Massagis expugnatis ab Alexandro Bazira missum esse narrat. errorem Curtii vel auctoris non sumemus, cum iam supra non eadem nomina esse Beira et Bazira dixerim. Beira magis ad occidentem simulque ad meridiem versus sita erant, quam Massaga; iam Bazar vicus, ad amnem torrentem qui inter Swat et Indum in Kabul fluvium decurrit, situs, idem est, ut supra iam monui cum vetere urbe Baziris cf. Cunningh. I, 66 (quem de Manglora veteribus Massagis, perverse cogitasse commemoravi), non omittam quod Schuffert p. 14 urbem Massaga sibi finxit ad Swat-Landai flumen sitam circa Abazai urbem hodie munitam. sed de Swat-Landai flumine Curtii amne torrenti omnino cogitari nequit. verum de elephantis recte monuit Schuffert.

68) Curtius VIII, 10,23 sq. urbem illam praealtis aviisque in rupibus sitam orientem versus amne torrenti, ab occidente et a meridie voraginibus, a septentrione fossa ingentis operis cinctam, murum saxo inferiorem crudo latere superiorem structam XXXV fere stadia longum fuisse tradidit. Arrianus de urbis situ nihil dixit neque in tota oppugnationis descriptione uno verbo prodidit, in loco eam naturae opera tam munito conditam fuisse, quamquam Bazira urbem in excelso aedificatam validoque muro omni ex parte cinctam fuisse scit. itaque aut erravit Curtius, cum quae de Baziris dicenda essent, de Massagis tradidit, aut ille, unde descripsit, finxit urbem, quae ab alio homine expugnari non bene potuerit, Alexandro resistere nequiverit. ac mihi quidem similitudo aliqua videtur intercedere inter hanc Massagorum descriptionem et petrae illius Aorni. cum enim ne illa quidem usquam aditum praeberet, Alexander aggerem duxit, quem Massagis quoque adhibet si audis Curtium VIII, 10,30 sq., cuius aggeris apud Arrianum nullum exstat vestigium. immo tota eius descriptio obpugnationis ita comparata est ut urbem nisi in plano, certe non in rupibus praealtis aviisque sitam credas. aliter sane iudicavit Hertzberg II, 222.

69) cf. Arr. 4, 26, 1. Curtius quod narrat: triginta octo millia peditum tutata esse urbem errat. nam Arrianus 4, 25, 5 Assacenos triginta millia peditum ad pugnam instruxisse tradit, atque hos appropinquante iam Alexandro in singulas se urbes recepisse. quare non puto me errare cum Curtii illum numerum ad omnes Assacenos, non ad singularem urbem refero. ceterum Alexander iam priusquam Massaga aggrederetur videtur Craterum adscivisse (aliter iudicare videtur Lezius p. 24), nisi mavis putare, cum satis parva manu regem Indis proelium commisisse, iam ab iis re vera repulsum exspectasse nonnullos dies Crateri adventum: tum iterum aggredientem cinxisse urbem. nam Arrianus Ptolemaeum ut videtur secutus quattuor dies obsessam esse tradidit urbem, Curtius vero novem (VIII, 10,31).

turum cum videret, longius a moenibus barbaros studuit abducere, ne si fugati essent, quod eventurum esse credidit, statim in urbem refugientes servarentur. itaque milites in clivum quendam septem fere stadia iussit recedere; quo facto hostes iam cursu ordinibusque solutis in eos tamquam fugientes feruntur. aggressis intra teli iactum Alexander dato signo exercitum conversum immisit. ac primi quidem hypaspistae Agriani sagittarii cum barbaris manus conseruerunt; iam phalangis legiones ipso Alexandro duce sequebantur. Indi re inopinata perterriti Macedonum impetum non diu sustinebant: mox recessere. quorum ducenti caesi, reliqui in urbem sunt compulsi; iamque urbi Alexander exercitum adducere conabatur, cum sagitta a muro malleolum leviter percussus est.[70]) postero die[71]) machinas admovit et partem quidem muri facile deiecit. irrumpentes tamen per ruinas Macedones barbari strenue pugnantes tum reppulerunt. maiore sequenti die impetu Macedones in munimenta feruntur. turrim ligneam muris admoverunt, unde sagittarii telis Indos valde premebant. tamen ne sic quidem intra muros penetrare poterant. quarto denuo die Alexander phalangem ad muros duxit atque in pontem ex turri lignea moenibus, qua parte destructa erant, iniectum hypaspistas immisit, qui eodem modo Tyrum oppugnaverant felici cum successu. cumque omnes primi in urbem incurrere vellent, pontem turrimque nimium pondus destruxit atque cadentes cum ponte Macedones audaciores iam facti barbari saxis telisque, quae quisque in manibus forte habuit aut celeriter accepit, feriebant; quin per parvas portas interturriis interiectas procurrebant in perturbatos, cum Alexander Alcetam cum legione mittit, qui vulneratos recipiat revocetque in castra qui urbem oppugnabant. iam quinto Macedo die, (obsessionis quarto), cum alia ratione urbs expugnari non posse videretur, ex nova turri novum pontem in murum iecit; atque Indi mercenarii[72]) dum princeps regionis propugnabat, strenue hostes repellebant. cum tamen telo ex machina mortifero ille percussus esset[73]) et ipsorum alii in oppu-

70) cuius vulneris dolorem satis gravem cum sentiret, Alexandrum dixisse testatur Curtius VIII, 10,29: Jovis quidem filium se vocari, sed aegri corporis se percipere dolorem.

71) sequor in his Arrianum 4,26. aliter Curtius VIII, 10,30 sq. et urbis oppugnationem et deditionem refert. quam addidit de regina Cleophide cum Alexandro cubante fabulam (cf. Droysen II p. 112 adn. 1) totam eius narrationem incredibilem reddit.

72) nisi de his cogitari non posse satis luculenter apparet; rem non perspexere neque Lassen II, 146 neque Droysen II, 111 neque Hertzberg II, 225, qui omnes de Massagorum incolis Arriani verba 4, 27, 2 interpretati sunt *καὶ οἱ Ἰνδοὶ κτἑ*, non animadvertentes infra eundem scripsisse (3) *τῷ δὲ ἀσμένῳ γίγνεται ἄνδρας ἀγαθοὺς διασῶσαι· καὶ ξυμβαίνει ἐπὶ τῷδε Ἀλέξανδρος τοῖς μισθοφόροις Ἰνδοῖς κτἑ.* iam illis caesis urbem aggreditur ipsam, unde apparet, non urbis incolas, sed mercenarios misisse legatum, ut equidem non dubitem corrigere Arriani verba 4, 27, 2 *καὶ οἱ Ἰνδοὶ* in *καὶ οἱ μισθοφόροι Ἰνδοί*.

73) Curtius VIII, 10,22 iam prius demortuum esse Assacenum, quam hostes in regionem invasissent tradidit, atque arbitratur Lassen II, 145 adn. 2 eundem

gnatione continua caesi, plurimi vulnerati et bello inutiles essent, ad Alexandrum mittunt, qui pacisceretur. cui cum rege convenit, ut ex urbe egressi in exercitum regis recepti militent. itaque eveniunt, neque tamen in Alexandri se castra vertunt, sed armis instructi seorsim in clivo Macedonibus opposito castra muniunt. cum enim adversus cives Indos et conterraneos arma ferre nollent, nocte aufugere statuerant. quod cum audisset Alexander nocte cinctos necandos curavit.[74]) iam urbem ipsam vi cepit, cum non satis essent qui defenderent. inventas inter captivos Assaceni inter oppugnationem mortui matrem et filiam[75]) ut solebat rex bene recepit. ceterum inter obsessionem urbis totam viginti tantum quinque Macedones milites desiderati sunt.

Reliquas quoque urbes, quas in barbari confugerant, celeriter cum suae dicionis facere vellet Alexander Coenum Bazira[76]) misit, incolas illius urbis, Massagae cognita expugnatione se daturos esse

---

esse Assacenum et regem Aspasiorum qui Arriano teste 4, 24, 4 sq. a Ptolemaeo interfectus erat. nam ducem Massagorum non hyparchum nominari, quo nomine soleat Arrianus illarum regionum principes appellare, sed *ἡγεμόνα* tantum *τοῦ χωρίου* (Arr. 4, 27, 2), cum Aspasiorum rex ab eodem *ὕπαρχος* (4, 24, 1) commemoretur. sed oblitus est, eundem Arrianum hyparchum illum 4, 24, 3 *ἡγεμόνα τῶν ταύτῃ Ἰνδῶν* appellare. quare recte mihi quidem Droysen iudicasse videtur: fidem habeo Arriano.

74) tali modo Arrianus satis probabiliter rem narravit. Diodorus XVII, 84, cuius inde ab hac re gesta habemus descriptionem belli Indici Alexandri, cum prior pars deperdita hodie sit, scelestum finxit regem cum praeter alia traderet: Alexandrum (cf. autem etiam Plut. Alex. 59. Polyaen. Strateg. 4, 3, 20) mercenarios aggressum esse, quamquam antea cum illis pactus esset; Indisque respondisse querentibus, concessisse se ut evaderent ex urbe, non ut integri domum redirent. praeterea reliquorum Indorum iram excitasset Alexander iustam. ne illud omittam: tota de pugna illa Diodori narratio nimium similis est proeliis Romanorum cum Cimbris Teutonisque eorumque feminis factis (cf. XVII, 84,5,) ut mihi quidem probabile sit, ante bella illa scriptam eam non esse. iam et Curtius VIII, 10,33 et Diodorus XVII, 84,1 ut videtur, quod afferunt, cum ipsa regis matre pactum esse Alexandrum veri dissimile est, cum Arrianus claris verbis indicet, ipsam urbem caesis Indis mercenariis esse captam. in coniunctione reginae et Alexandri fortasse recte A. v. Gutschmid (apud Kaerstium „zur Quellenkritik des Rufus" Diss. Tub. a. 1878 ed. p. 47) Caesari Cleopatraeque spectari commercium cognovit. ne nominibus quidem ita multum differunt reginae, quarum una Cleophis, altera Cleopatra vocaretur. ceterum nomen reginae Cleophis admonet nos de Nysaeorum duce Acuphi et Taxilarum rege Mophi.

75) de filia tacet Curtius VIII, 10,3 5 novit autem filium parvum, tamen non audeo pro Arriani (IV, 27,4) *τὴν παῖδα* corrigere: *τὸν παῖδα*. iam si quaerimus, unde Timagenes, nam hic historiae illius de reginae et Alexandri concubitu (vide etiam Iust. XII, 7) relatae auctor videtur fuisse, probabiliter illam fingere potuerit, videamus Curtium VIII, 10,35: ipsa genibus regis parvo filio admoto non veniam modo sed etiam pristinae fortunae impetravit decus. rex parvum filium ad se sumpserit: quasi eum agnoscere videbatur; inde rumor exortus sit. quid denique de Indis cogitandum esset qui Alexandri Magni ex gente natos hodie quoque se putant vel orti esse ab aliis putantur, bene exposuit Biddulph, vide Schuffert p. 15.

76) de huius urbis situ vide quae supra scripserim. quod nomen attinet, Arrianus Bazira, auctor itinerarii Baziphara eam vocat. Bazira possit ex Baziphara contractum esse, ut Bajore exempli caussa ex Badjawar.

ratus. Attalum vero et Alcetam et Demetrium hipparchum ad Hora[77]) oppidum delegavit, qui muro cingerent, dum ipse rex aggrederetur. qui oppidanos irruentes facile repellunt, inque oppidum concludunt. Coeno tamen Bazirenses non dederunt se, cum urbem edito loco sitam omnique ex parte bene munitam facile posse defendi sperarent. quo audito Alexander Bazira se vertit, via mox deflexurus, cum barbarorum accolarum nonnullos ab Abhisare ad id missos in Hora oppidum clam inrepturos cognosceret. quare illuc duxit Coenumque prope ad Bazira ne agro libere uterentur barbari validum locum munire praesidioque relicto milites sibi iussit adducere. hostium iam cum paucitatem spernerent Bazirenses ex urbe in agrum excurrerunt. fit acre proelium. quingenti barbari caesi, plus septuaginta capti, reliqui in urbem repulsi, qui ex urbe egredi non iam audebant. interea Alexander Hora aggressus primo impetu expugnaverat elephantosque ibi relictos ceperat. tum Bazirenses Macedonibus diutius se posse resistere desperantes media nocte ex urbe in petram Aornum.[78]) ab incolis vocatam effugiunt.[79]) idem aliarum urbium quas deinceps Alexander praetercessit incolae fecerunt. cuius petrae prope ad Indum sitae ambitum CC stadiorum esse dicebant, altitudinem qua humillima esset, stadiorum XI, aquam edi in cacumine ex fonte multam puramque et defluere ad planitiem; silvam etiam inveniri et agrum mille homines quem colere possent. aditum denique ad ipsam ab una tantummodo parte difficilem eamque manu factam. huc igitur et aliis temporibus confugere solebant accolae cum appropinquabant hostes et tum se illuc verterunt. atque Alexander qui tam multis relictis a tergo hostibus integris non bene posset ex Assacenorum finibus

---

77) Curt. VIII, 11, 1 Polysperchonta ab Alexandro ad Noram urbem missum esse rettulit. Arrianus plures nominat duces, non unum, neque inter illos est Polysperchon (vide etiam Lezium p. 86). affuisse autem huic expeditioni Polysperchontem ordinem ignotum obtinentem vix credibile est. aut igitur erravit Curtius vel auctor, aut non est Nora eorum eadem quae Hora Arriani, ceterum Hora me recte arbitror adhuc urbem secundum itinerarii auctorem appellasse (cf. c. CVII), quae apud Arrianum Ὦρα in condicibus est, errore certe librariorum, cum apud Arrianum Ὧρα legendum sit mutatione facillima. nomen videtur derivandum esse ab indico Vara et significare urbem Varae regis (de quo vide Cunningh. I, 60), sita autem erat Varae regis urbs sub rupe Rânigat (quam Aornum voluit esse Cunningham): *immediately above the small village of Nogrâm* (Cunn. p. 58), quae Curtii Nora esse possit. alius auctor aliam urbem praetulit. addam Schuffertium errare p. 14 proferentem: Wahrscheinlich lag Ora in dem oberen Teile des Swat und Bazira auf dem Höhenzuge zwischen Swat und Indus, über welchen der Karakarpaß führt und von welchem aus man dann leicht nach Aornos-Mahaban gelangen kann.

78) cuius petrae de situ inspicias queso, quae infra adnotaverim nr. 84.

79) Bazirenses in petram Aornum se vertisse Arrianus dixit 4, 28, 1 *ἀμφὶ μέσας νύκτας τὴν πόλιν ἐκλείπουσιν, ἔφυγον δὲ εἰς τὴν πέτραν.* Fr. Duebner in editione Arriani verba extrema *ἔφυγον — πέτραν* praetermisit; quibus carere non possumus propter ea quae sequuntur. eadem autem tradidit itinerarii auctor c. CVII: ubi tamen plerique cecidere, quisque evaserat petram munitissimam confluunt.

egredi, ipsam petram statuit adoriri: fama fortasse praeterea motus, numquam adhuc potuisse eam expugnari ne a rege quidem suae aetatis potentissimo; quem Graecorum Herculem fuisse cum Macedones sibi persuaderent[80]), gloriam sibi futuram speravit esse magnam praecipue apud milites, si petram illam fuisset capturus.

Sed recta via eam non videtur petivisse propter temporis — nam hiems fere erat et montes nivibus obruti — et locorum iniquitatem aviorum. quare Massagis Horisque exstructis castellis Bazirorumque moenibus exaedificatis — in Orobati urbe sita in Assacenorum et Peucelaitarum confinio, ab Hephaestione milites relictos esse supra iam audivimus — et regioni intra Choem et Indum fluvios subactae satrapa praefecto Nicanore[81]) primum in Peucelaotidem regionem profectus est. atque Peucela urbe[82]), media fere inter Indum et Suastum fluvios paullo supra Cophenem ut videtur sita,

---

80) ita narrationem illam de Hercule intellegendam esse duxi; prorsus fabulam putavit Lassen II, 149. sed ex Arriani quoque verbis elucet talem de deo aliquo historiunculam exstitisse in illa regione. Strabo Sibas ab Hercule relictos esse narravit XV p. 688 vide adn. 38. quorum nomen fortasse ex nigris eorum vestibus (pellibus caprinis) sumptum est (v. de gente Siah-Posch.) v, Bohlen: Das alte Indien I p. 148, 209 Sibas sectam quasi Çiva dei (vel Dionysii) esse putat: sed vix credi potest a Graecis confusos esse Dionysum et Herculem.

81) idem videtur esse atque qui Alexandriae relictus antea erat. cf. Arr. IV, 23, 5 *τὴν πόλιν αὐτὴν κοσμεῖν ἐκέλευσε.* postea Sisicottus commemoratur regionis Assacenorum satrapa, Arr. V, 20, 7 qui primum castello in petra aedificato et regioni finitimae ab Alexandro erat praefectus Arr. IV, 30, 4. Curt. VIII, 11, 25. cogitari possit non accurate loqui Arrianum V, 20 7 de *satrapa Assacenorum* (cf. Droysen II, 115 adn. 2) atque etiam tum fuisse totius a Choe ad Indum regionis subactae satrapam Nicanora. tamen cum illo loco Arrianus Nicanoris omnino mentionem non faciat cumque Alexandrum narret iussisse Tyriaspem regionis inter Cophenem et Choem sitae satrapam et Philippum Machatae f. Taxilarum satrapam in Assacenos ducere, tum credo re vera satrapam huius regionis totius fuisse Sisicottum. (nam duos illic fuisse satrapas et regionis meridionalioris circa Cophenem et septentrionalioris *τῆς τοῦ Ἀσσακανοῦ* veri dissimile videtur.) Nicanore quid postea factum sit nescimus, utrum mortuus sit an Alexander eum ad se receperit, ut Philippum quoque (cf. Arr. VI, 2, 2) postea secum ducere iussit. ceterum quod Droysen l. l. II p. 125 adn. 1 Philippum Mach. f. etiam regionis a parte Indi dextra supra confluentes Indum et Cophenem sitae putavit satrapam erravit. quae de re vide quae infra exposuerim.

82) Peucelam urbem ad Indum prope fuisse sitam et Arrian. IV, 28, 6 Ind. 1, 8 et Strabo XV, 698 tradiderunt. posterior addidit: *πρὸς ᾗ ζεῦγμα γενηθὲν ἐπεραίωσε τὴν στρατιάν.* conditam eam fuisse eo loco ubi nunc exstat Hashtnagar urbs Cunningham mihi videtur non recte contendisse I p. 49. primum Hashtnagar ad Landi vel Swat fluvium inferiorem sita vix prope Indum potest dici condita fuisse. neque neglegenda videntur esse Arriani Strabonisque verba. deinde sitam eam fuisse putabimus in regione per quam Hephaestio et Perdiccas ab Hashtnagar urbe ad Indum profecti non venerunt. tum ex Cl. Ptolemaeo elucet (comparanti VI, 27 *συμβολὴ Κώα καὶ Σουάστου ρκβ γ' λα γό* et *συμβολὴ Κώα καὶ Ἰνδοῦ ρκδ λᾶ* et 44: *μεταξὺ δὲ τοῦ Σουάστου καὶ τοῦ Ἰνδοῦ Γανδάραι καὶ πόλεις αἵδε. Πορκλαΐς ρκγ λδ*) voluisse eum Porclaidem (Arriani Peucelam) urbem sitam esse mediam fere inter confluentes Suastum Cophenemque et confluentes Cophenem Indumque. iam ex Arriano quoque res singulas narrante cognosci licet, Alexandrum Peucelam urbem deditione recepisse Bazira urbe expugnata ac vix credi potest eum cum toto exercitu ad confluentes Suastum

in dicionem recepta ibique Philippo[83]) Macedonibus praesidio relictis praefecto, secundum Cophenem Indumque progressus Alexander parva nonnulla oppida ad posteriorem fluvium sita subegit; Cophaeo et Assagete regionis hyparchis usus ducibus Alexander Embolima[84])

Cophenemque retro se vertisse, immo ego eum ab urbe Bazira via quae meridiem versus ad Cophenem ducit per Hoti urbem processisse puto urbemque Peucelam non procul ab Hoti nostratium reperiri posse (fortasse eadem est? ceterum vocis altera pars — Kela — extat adhuc inter Hoti et Indum in vicorum Nawa-Kila et Kila-but nominibus.) cum inde altera via flectatur hodie quoque ad Indum regionemque petrae proximam. inde ad Indum progressus potuerit nonnulla parva oppida πρὸς τῷ Ἰνδῷ ποταμῷ ᾠκισμένα (Arr. IV, 28, 6) expugnare. iam adverso Indo ducens Embolima, Amb-Balimah (supro Torbela situm) pervenit, unde (auctore Arriano) duobus diebus pervenit ad petram ipsam Mahâban.

83) non idem est qui postea Taxilarum satrapa nominatur.

84) Embolima (vel Ecbolima Curtii) ubi sita fuerint adhuc sub iudice lis est. Claudius Ptol. ad Coam Indumque confluentes Embolima commemorat; cui tamen vix credemus. nam ea de coniectura ex nomine facto sive ipse sive auctor scripsit. derivabant vocem a verbo ἐμβάλλειν existimabantque eam significari urbem quae ad fluvium quendam in alium se immittentem esset sita. cum non alius tum fluvius fuisset in illa regione notus qui cum Indo aquas coniungit, Coam (vel Cophenem) sibi sumpserunt. sed primum vocis forma nimis mira si originem graecam respicimus, neque arbitror Macedones ficturos fuisse tale urbis nomen, nisi idem paene indicum invenissent. minime autem concedo Cunninghamio I, 56, aliis, pro Ambar vel Ambar-Ohind depravatum esse Embolima graece, neque porro ad confluentes Coam et Indum amnes conditae sunt Ambar-Ohind urbes. sane inter rivulos quosdam qui incurrunt in Indum (cf. chartam IV Cunningham). recte credo iam Abbottium (Journ. of the As. Soc. of Beng. 1854 vol. IV p. 344sq.) Embolima veterum eandem contendisse urbem esse cum nostratium Amb-Balimah urbibus ad Indum supra Torbela sitis. solent autem, ut hoc addam, duarum urbium nomina Indi coniungere cf. Cunningh. p. 57; atque tum potuit fieri, ut pro Amb-Balimah linguam graecam respicientes Macedones urbem Embolima nominarent. neque quas Cunningham affert caussas praeterea I p. 56 me movent, ut huic sententiae desistam. nam cum scribat: 'Alexander captured other small towns on the river Kophenes and arrived at last at Embolima' etc. fallitur; nam Arrianus de oppidis ad Indum sitis rettulit IV, 28, 6, quae potius in meam sententiam liceat convertere et adhibere. deinde quod narrat Cunningh.: 'as the great depôt of provisions and other necessaries was formed at Embolima, I conclude, that the bridge must have been at the same place' errat certe. nulla usquam neque Hephaestionis militumve, neque pontis cum fiat mentio Embolimis, immo cum Arr. IV, 28, 7 tradat Κράτερον μὲν σὺν μέρει τῆς στρατιᾶς καταλείπει αὐτοῦ verisimile est non eodem loco etiam Hephaestionis milites fuisse collocatos. Neque frumentum ceteraque necessaria propter pontem in fluvio faciendum congerere Craterus iussus est, sed si forte diuturna petrae obsidione opus esset. denique Curtius VIII, 12, 1 petra Aorno expugnata Alexandrum Ecbolima processisse tradidit et Erice superato (inde) sextis decimis castris ad flumen Indum pervenisse omniaque ut praecepisset ab Hephaestione ad traiciendum praeparata repperisse. cuius ex narratione quamvis confusa hoc tamen elucere mihi constat, Embolima non eodem loco sita fuisse ubi pons factus erat, neque prope eum, sed satis procul ab ea. — Embolima ubi exaedificata fuerint si recte investigavimus, etiam Aornum petram facili opera reperiemus. Cunningham I p. 60 eandem putavit cum monte Rânigat, cum Embolima haberet Ambar-Ohind. addidit etiam coniunctum esse nomen regis Vara cum hoc monte et videri nomen Vara et Aornos vel Varnos inter se quodammodo cohaerere. Sed recte Lassen II 148 adn. 3 animadvertit, indicum nomen, unde Macedones vocem graecam derivaverint, fuisse âvarana: tutela, quod omnes in illum montem se defensuri recipiebant. iam minime placet, quod nuntios omnes de monte ab historicis valde auctos esse credit Cunningham. velut quod de altitudine referunt, Arrian. IV, 28, 3 ὕψος δὲ . . σταδίων ἕνδεκα,

(quam eandem esse puto cum Amb-Balimah nostratium supra Torbela adIndum sitis oppidis) in urbem venit, ubi cum non longe ab Aorno petra abesset Craterum cum exercitus parte reliquit, qui frumentum congereret quantum posset in eam urbem et quae praeterea necessaria essent si statim petra capi non posset. ipse sagittarios Agrianosque Coenique legionem et ex reliqua delectos phalange qui cum expeditiores tum melius armati essent, et amicorum equitum ducentos sagittariorumque equestrium centum ad petram duxit. atque primo quidem die loco idoneo castra posuit; altero paullulum ad petram progressus rursus castra munivit. tum veniunt accolarum nonnulli[85]) dedituri se; qui praeituros se pollicentur ad petrae eam partem quae facillime possit oppugnari.[86]) quibuscum Alexander Ptolemaeum Lagi f. misit, Agrianos ducentem levisque armaturae reliquos et electos ex hypaspistis, mandans ut locum occupatum valido

---

Diod. XVII, 85, 3 *τὸ δ' ὕψος ἑκκαίδεκα (σταδίων)* non accipit. etiamsi Diodori auctorem veri modum excessisse concedamus, tamen quidni Arriano fidem habebimus, cuius numerus satis ad verum accedere videtur. nam Mahâban mons, quem ego cum Aorno eundem puto, ipso Cunningh. teste I, 77 altus est '7471 feet above the sea'. iam Arriani numerum si sumimus altus erat Aornus '6674 feet above the Yusufzai plain, equivalent to 7874 feet above the sea.' quadringentis igitus fere pedibus revera altior est Mahâban mons, sed non debemus oblivisci addidisse Arrianum *ἵναπερ χθαμαλώτατον*. Diodori autem numerum fortasse ita explicare bene possumus: non est vera altitudo quam nos de montibus solemus adhibere sed quasi iter, quod quis recta via e montis radice ad cacumen usque facit. Arrianus porro montis cacumen ducenta stadia in circuitu latum fuisse tradidit IV, 28, 3. Diodorus XVII, 85, 3 centum tantum novit. etiam hunc numerum valde auctum esse Cunningham pro certo habuit. negavit denique, recte Arrianum tradidisse mille hominibus agrum in montis cacumine cultu idoneum fuisse. omnia si complector animo, non possum quin assentior Abbottio, quod recte iam fecit Grote cf. Gesch. Griech. ed. germ. VI, 1 p. 599. nuper secutus est Hertzberg in historia sua Alexandri Magni (alii aliter iudicaverunt, ut Lezius p. 88, qui Cunninghamium sequitur et Rânigat petram Aornum fuisse putat.) ne omittam, Curtii petrae descriptio etiamsi non videtur quadrare in montem Mahâban (cf. Grote l. l.), tamen recte ex auctore servavit VIII, 11, 7 'radices eius Indus amnis subit, praealtus utrimque asperis ripis.'. Diodorus XVII, 85, 3 similiter: *μέρος αὐτῆς προσέκλυζεν ὁ Ἰνδὸς ποταμός.* nam re vera radix quaedam montis Mahâban usque ad Indum pertinet cf. Cunningh. ch. IV. erravit sane Curtius VIII, 11, 12 'quos ex praerupta rupe lapsos amnis praeterfluens hausit'. quae ipse possit finxisse, nisi de amne minore ignoto in Indum se immittente intellegenda sunt (vide chartas geographicas.) ceterum quod Chares narrat *διηγούμενος περὶ τῆς πολιορκίας τῆς ἐν Ἰνδοῖς πόλεως Πέτρας. ὀρύξαι . . . . τὸν Ἀλέξανδρον ὀρύγματα τριάκοντα συχνά, ἃ πληρώσαντα χιόνος παρεμβαλεῖν δρυὸς κλάδους· οὕτω γὰρ παραμενεῖν πλείω χρόνον τὴν χιόνα* fortasse ad nostram Aornum petram referendum est cf. Droysen II, 120, 2 (Charetis locus servatur ab Athenaeo III p. 124 C.) tum etiam illud Cunninghamii repellitur, nullo usquam loco in tota oppugnationis descriptione nivis fieri mentionem. denique ne id quidem omittendum videtur esse: ut Rânigat fuerit Aornos, ubi tandem sita est terra Assacani, in quam inde duxit Alexander?

85) Diodorus et Curtius alias quoque res non maximas sed minimas afferentes narrant patrem cum filiis duobus venisse qui paupertate commotum (Diod.) octoginta talentis (Curt.) viam promiserit se monstraturum esse. utut hoc est: certe Arriano simplicius referenti res plus habendum est fidei.

86) Diodorus et Curtius his in rebus minus accurati sunt, ut vix eos audeam sequi.

muniret praesidio possessionisque clarum daret signum. atque ardua Ptolemaeus via procedens et difficili clam barbaris petrae illam partem conscendit. quam vallo deinde in orbem ducto et fossa cum satis munisset facem sustulit inflammatam ibi, ubi conspici eam ab Alexandro posse arbitrabatur. interea Alexander ipse aditum petrae manu factum occupavit, quo cum Ptolemaei signum cerneret, postridie exercitum in hostes duxit. neque tamen quicquam illo die prae barbarorum fortitudine locorumque iniquitate effecit. quin cum recessisset barbari in Ptolemaeum iam se converterunt ut ex loco munito eum expellerent. quorum atrox cum Macedonibus fit proelium, cum vallum Indi conarentur rescindere, quod omni opera Macedones defendebant. noctu demum barbari recesserunt. iam alia ratione petram oppugnandam esse Alexander intellexit. Indumque transfugam quendam et fidum et locorum peritum ad Ptolemaeum noctu mittit cum epistula, ubi scriptum erat, Ptolemaeus ne clivum tutari satis haberet, sed ut ipse hostes peteret, si Alexander petrae appropinquaret. ipse cum dies illucesceret e castris exercitum — relicto certe praesidio in aditu occupato — ad eam petrae partem duxit, qua Ptolemaeus clam hostibus ascenderat, non iam difficile ratus negotium futurum, si coniungere se posset cum Ptolemaei copiis. periculo cognito hostes omnibus viribus nitebantur ut Macedones ascendentes repellerent. sed cum non deessent Macedones pugnae alii aliis succedentes vix post meridiem coniungendi se Alexandro locum dederunt cum Ptolemaeo. inde cum omnes copiae essent congestae rursus petunt Macedones petram; sed cum avia adhuc etiam ab hac parte esset petra facile a barbaris defensa est. quam Alexander nisi aggere a Ptolemaei parte ad ipsam ducto expugnari non posse cum videret, postero die sub lucem milites palos centum unumquemque iussit caedere. quo facto ipse magnum initiatus est aggerem, unde sagittae telaque machinis coniecta ad hostes possent pertinere. et exercitus omnis aggeri perficiendo maximam navavit operam cum ipse rex spectaret strenuos laudans, vituperans segnes. ac primo quidem die agger in stadii longitudinem funditur, quamquam crebros Indi faciunt impetus. hostes ut prohiberet Alexander postero die funditores in parte aggeris iam perfecta locavit machinasque. itaque Macedones non iam impediti tres dies aggere fundendo consumpserunt. quarto die[87]), oppugnationis septimo, nonnulli rupem quandam occupant cum petra arte coniunctum paremque altitudine. hanc ad rupem Alexander iam aggerem summo studio adduxit et Indi tali Macedonum collem illum occupantium

87) his fortasse diebus proelium illud dimicatum est, de quo Curtius refert multis verbis VIII, 11, 9, ubi Chares et Alexander quidam diem supremum obierunt fortissime pugnantes. ceterum septem diebus aggerem perfectum esse Curtius l. l. ed Diodorus XVII, 85, 6 tradunt, quod non repugnare videtur Arriano, si tres quoque dies oppugnationis primos (Arrian. IV, 29) quos plane omittit Curtius Diodorusque, adsumimus.

incredibili audacia perterriti neque porro hostes ad ipsam petram aggerem iam ducentes defendere se posse rati ad Alexandrum legatum[88]) miserunt petrae deditionem qui promitteret si rex pateretur pacisci. cogitabant autem diem pactionibus faciendis conterere, noctu aufugere. quibus cum audisset Alexander, et temporis spatium concessit satis magnum ad discedendum et loci satis amplum. noctu autem cum discedere iam barbaros ex Balacro[89]) qui specularetur praemisso cognosset ipse cum praetorianorum et hypaspistarum septingentis fere ex colle nuperrime occupato primus in petram ascendit Macedonesque secuti sunt, alii alia inter se sursum trahentes. et dato signo in hostes incurrunt discedentes: multi Indorum ita in fuga interfecti sunt, nonnulli perterriti praecipites in voragines se iecerunt perituri. plurimis tamen effugere licuit integris.

Sed nondum totam Assacenorum Alexander pacaverat regionem. quare in ipsa petra Minervae Victoriaeque cum de victoria feliciter reportata sacrificasset et castello ibi munito[90]) Sisicottum[91]) praefecisset, inde ab Aorno petra statim in regiones septentrionales movit per vallem hodie Buner vocatum. quo Aphrices Assaceni nuper mortui frater[92]) cum quindecim elephantis barbarorumque viginti millibus confugisse dicebatur. atque ipse celeriter duxit levioris armaturae milites, cum Coenus graviorem modicis itineribus promoveret.[93]) cumque ad urbem Dyrtam[94]) veniret ab incolis desertam repperit et

88) de legato tacent et Diodorus et Curtius. immo posterior narrat Alexandrum incepto desistere statuisse quippe nulla spes potiundae petrae offerretur, speciem tamen in obsidione perseverantis ostendisse. vix credi potest Alexandrum tale consilium cepisse.

89) cf. Curt. VIII, 11, 22. non video cur nomini Balacri fidem denegemus; aliter iudicavit Lezius p. 90.

90) arcem antea aut castellum aut urbem in petra fuisse nusquam traditur ab Arriano Curtio Diodoro. neque ad ipsum Charetem referenda videntur verba haec: *τῆς πολιορκίας τῆς ἐν Ἰνδοῖς πόλεως Πέτρας*, sed ad Athenaeum. errant igitur qui talia referunt recentiorum criticorum, ut Droysen et Hertzberg.

91) Sisicostum nominat Curtius VIII, 11, 25; tradidit porro (utque videtur recte, si de proximo tempore intellegenda sunt): etiam regionem vicinam petrae illi adiunctam esse ab Alexandro.

92) cf. Arr. IV, 30, 5. Curtius VIII, 12, 1 et Diod. XVII, 86, 2 nisi nomen (quod omisit Arrianus) nil paene servaverunt, quod apud Curtius Erices vel Eryx, apud Diodorum Aphrikes est. utrum rectius tradatur nescimus. possit pro *Ἀφρίκης* scribi apud Diodorum *Αἰρίκης*.

93) ita Curtius rettulit VIII, 12, 1. quod deinde narravit hostes ab Alexandri militibus deturbatos esse non congruit cum Arriano. vide etiam Lez. p. 91.

94) Court in Journ. of the Asiat. Soc. of Beng. VIII, p. 309 eandem esse urbem putavit quae hodie Dhyr vocatur, sita ad rivum quendam qui in Pangkora influit. probaverunt Lassen II p. 150 adn. 1. Droysen l. l. II p. 121 adn. 1, alii. tamen iam Wilson, Ariana Antiq. p. 192 recte animadvertit: 'this city is too remote from the Indus'. fateor me nescire ubi urbs Dyrta condita fuerit: in universum tamen fortasse recte confirmaverim eam reperiri posse in montibus Buner vallis septentrionalibus ad Indum pertinentibus prope Schalbandi urbem nostratium, cumque inde iam ad Indum venisset prope urbem Mudschahedin audivit Indos transisse trans Indum ad Abhisarem regem Uraçae (Uarsae) regionis hodie Hasara nominatae. nostris quoque temporibus illis locis via Bazar-

regionem vicinam. hostibus in avios montes fugientibus subsequi noluit, hypaspistarum tantum chiliarchos Nearchum et Antiochum dimisit, cum Agrianis et leviter armatis priorem, Antiocho praeter propriam chiliarchiam alias duas subiunxit. qui barbaros nonnullos si possent comprehenderent, ex quibus et de regione comperiret et de hostibus et de elephantis. ipse cum copiarum parte maiore postero die ad Indum movit via ab militibus tum demum facta; nam aviae adhuc regiones illae erant. lente progredientes mox Nearchus et Antiochus consecuti sunt, qui hostes nusquam reppererant, quos ad Abhisarem se vertisse trans Indum, relictis elephantis ad Indum pasturis ex barbaris nonnullis captis rex cognovit.[95]) iam ut eo ducatur ubi elephanti sint imperat. Indorum multi elephantos venabantur et ipse Alexander secum duxit qui tum illos ceperunt praeter duos in voragines cum fugerent delapsos. reliqui adhibitis sessoribus exercitui interpositi sunt.

Iamque eum Indo secundo Embolima revertisse putabimus, ubi Craterum reliquerat.[96]) silvam quoque illic ut videtur prope Indum cum inveniret navibus faciendis satis idoneam cecidit navesque aedificavit quibus certe parva tantum exercitus pars secundo flumine vecta est; reliqui pedibus profecti sexto decimo die postquam ab urbe Dyrtis castra moverat[97]) ad pontem pervenerunt quem Hephaestion et Perdiccas paullo supra confluentes Indum Cophenemque[98]) iam

---

Umbela-Schalbandi- (altera ibi via a Swat flumine veniente recepta)-Mudschahedin conectens paullo supra confluentes Indum et fluvium minorem qui Buner vallem percurrit, Indum traducit, in Hasarae (Abhisaris) regionem se vertens.

95) Ericem Curtius et Diodorus a suorum nonnullis interfectum caputque eius et arma ad Alexandrum deportata esse tradunt. 'Sensationssüchtige Nachrichten' Schaefer olim Bonnensis.

96) Curtius VIII, 12, 1 post expugnatam petram Alexandrum Embolima venisse tradidit. De priore adventu tacuit. posteriorem non commemoravit Arrianus. narrationos amborum ausus sum conectere. Curtii autem narratio non efficit ut Alexandrum Embolima redisse putemus statim post Aornum captum, immo quae de Eryce narrantur, facta esse videntur priusquam Embolima venit. Craterum porro ab Alexandro receptum esse, ne ab Arriano quidem commemoratur, tamen ex tota eius narratione apparet eum non affuisse cum reliquo exercitu in itinere Dyrtam facto, quod et per se veri simile est.

97) si fidem habemus Curtio qui scripsit VIII, 12, 4: 'hinc ad flumen Indum sextis decimis castris pervenit', certe ab urbe Dyrta ad Indi eum locum ubi pons parabatur, quamquam nomen illius urbis non commemorat et totam rem satis confuse narrat. novem dies rex consumpsit oppugnatione petrae. duobus diebus post Dyrtam venerit; inde Eryce superato et necato si Curtii numerum servamus, sextis decimis castris ad Hephaestionem et Perdiccam venit; in universum igitur circa quattuor hebdomades erant, quibus si demimus circa viginti dies et oppugnatione et itineribus consumptos restant octo fere dies, quibus Embolimis a toto exercitu naves confici iusserit, fortasse iam antea a Cratero inchoatas.

98) Supra confluentes Cophenem Indumque transisse Alexandrum apud plurimos criticos constat. et si porro quaerimus, prope Hund (vel Ohind, vide Cunningham I p. 52 sq.) urbem flumen Indum tum a rege traiectum esse concedemus. nam vetustissima via, quae inde ab Rawalpindi ad Indum ducit quaque Alexander est usus Taxila proficiscens, per vicum Huzru vel Hasro (Kasro) ad

exstruxerant. adiuvarat autem Macedones Mophis Taxilarum patre mortuo princeps, frumentum gratuitum copiis admensus.[99])

Triginta dies[100]) rex exercitum itineribus per montes partim nivosos factis aliisque belli laboribus defatigatum dum recreat, fortasse etiam dum Indi aquarum altitudinem ad traiciendum magis idoneam vel supplementa exercitus exspectet, Mophis veniunt legati regem salutantes. Taxila urbem et se ipsum denuo principem Alexandro benevolenti committere. dona tradiderunt argenti ducenta fere talenta, boves et oves super decem millia, elephantos triginta. equites denique auxiliarios a Mophi missos adduxerunt fere septingentos. iam non moraturus Alexander vere ineunte anni CCCXXVI[101]) dis sacrificavit quibus solebat, ludos instituens ad flumen gymnicos equestres. atque felicem transitus exitum cum ex sacrificiis cognosset, statim sub lucem amnem ingentem superare iussit milites ponte ingressos


---

Indum ducebat, qui vicus ex adverso urbis Ohind in sinistra Indi ripa situs est. accedit quod ibi praeter alia Indoscythicorum regum nummos inventos esse (ut in Lahore urbe prope sita) Cunningham l. l. testis est. urbem Ohind vel Wehand ab Alexandro conditam esse memoriae traditum esse Abut Feda quidam narravit (teste Cunn. I, 56). certe etsi non condiderit urbem, praesidium ibi rex reliquerit in castello tutandi pontis caussa munito. — Indus iam paullo supra Ohind urbem in complures amnes diffluit usque eo ubi hodie prope Attak oppidum Kabul fluvium recipit. pons tamen navalis nisi mensibus Novembri ad Aprilem in Indo fieri non potest, quia illis tantum mensibus vis fluctuum satis lenita est ad ferendum pontis iugum. vide C. Ritter. Asien V, 23 sq., qui descriptionem Alex. Burnesii de genere stabiliendi in fluvio naves, quo accolae recentioribus quoque temporibus utuntur, adhibens similiter Arrianum Romanorum pontes navales V, 7, ut Alexandri transitum explicaret descripsisse dicit. ceterum Alexander flumen traiecit exeunte fere mense Martio a. CCCXXVI a. Chr. n. eodem ut videtur loco anno MCCCXCVII imperator Timur ponte navali Indum traiecit (v. Ritter. Asien IV, 2, 573). etiam imperator Baber in commentariis suis hieme supra Cophenem-Kabul flumen influens Indum optime traici narrat ipsumque se plurimis incursionum in Indiam factarum hac via (supra Cophenem) transisse. Lezius p. 30 adn. 4 qui infra Cophenem Alexandrum traiecisse putat errat, etiam quod Alexandrum per Indum flumen navibus decurrisse narrat. nam parva tantum exercitus pars navibus ad pontem vehi poterat; tum propter vim fluctuum fieri omnino non potuit ut vel ea pars per confluentes Kabul et Indum amnes veheretur. vide Ritter. Asien V, 22. item errat Lezius de Orobatis urbis situ.

99) vide Curtium VIII, 12, 6. ceterum Mophis a Diodoro XVII, 86, Omphis a Curtio VIII, 12, 4 nominatur; regium nomen erat Taxiles, h. e. Taxilarum rex, quo pater appellabatur. (fortasse etiam illius proprium nomen erat Mophis?) iam Curtii et Diodori reliquos nuntios in hac quidem re non suspiciosos ita coniungemus cum Arriano: pater eius Taxiles (Taxilarum rex) eo auctore (Curt.) legatos de foedere atque amicitia ad Alexandrum (audito ut videtur eius adventu in Paropanisadas) miserat, qui regem Alexandrum in Sogdiana versantem convenerunt. (Diod.) ingredienti tum in Indiam Alexandro ipse Taxiles (pater) prope Cophenem praesto erat et cum Hephaestione et Perdicca recessit (Arr.). paullo post (fortasse in itinere) mortuus esse videtur (Curt. Diod.) tum filius eius Mophis ad Alexandrum ipse non venit, misit tamen legatos de regno: quod ei permisit Macedo.

100) immerito Lezius p. 31 adn. 1 hunc Diodori numerum ut alios quoque in suspicionem vocat.

101) cf. Strab. XV p. 691. ceterum minus accurate Lassen II, p. 152 scripsit: es war ungefähr ein Jahr verflossen, seitdem Alexander über den Paropanisus gezogen war. nam vere exeunte Bactris Alexander profectus erat. v. Arr. IV, 22, 3.



ex navibus coniuncto. aedificarant autem Hephaestion et Perdiccas praeter trigintaremes duas multa parva navigia: nonnullis ipsum Alexandrum exercitus partem advexisse supra narravi. ac feliciter cum Indum rex transmisisset rursus patrio more sacrificavit. inde iam campos mirati agrosque, incipiente praesertim vere florum multitudine ornatos et silvas innumerabilibus repertas animalibus nondum visis, quasi reviviscentibus hieme fugata, atque homines et moribus et corporibus ab Indis quos adhuc conspexerant diversos, recta via Taxila profecti sunt Macedones, urbium intra Indum et Hydaspem sitarum opulentissimam maximamque[102]), unde cum quadraginta tantum stadia abesset Alexander[103]) obviam Mophis iit cum exercitu armato et elephantis nonnullis ad pugnam ornatis.[104]) quod agmen Alexander cum videret ratus Mophim fidem mutasse neque amicum sed hostem adventasse[105]), Macedones arma capere iussit et equites in cornua discedere. sed Mophis quod metuerent Macedones suspicans relicto exercitu ipse cum paucis comitibus ad Alexandrum equo vectus est, propius et ipsum adequitantem. rex cum errorem cognosset et metum irritum esse, benevolenti animo Mophim recepit praesertim cum quinquaginta sex elephantos multaque eximiae pulchritudinis pecora iumentorum fere tria millia dono daret. deinde in urbem Alexandrum ingressum per tres dies hospitaliter Mophis tractavit.

---

102) Taxila urbem, Taxaçilâ nomine indico vocatam (cf. Lassen I p. 856, 2; II p. 152, 2) Court J. of the As. Soc. of Beng. III 557 eandem existimavit fuisse cum Manikyâla hodie appellata urbe. neque enim procul turris quaedam mira invenitur, satis nota sub nomine 'der Tope von Manikyâla', quam ad vetustissimam aetatem, quin ad Macedones ipsos voluere referre. sed iam Droysen animadvertit nimis remotam ab Indo fluvio hanc urbem esse, cf. ed. prior: p. 383 adn. 34. Lassen II p. 152 prope Ravil-Pindi (vel Rawâl-Pindi) urbem nunc nominatam vetera Taxaçilâ olim exstitisse arbitratus est. tamen si Peucelam recte eodem fere loco credidimus fuisse sitam ubi hodie exstat Hoti urbs intra Suastum et Indum, atque si recte Plinius Nat. H. VI, 21 Taxila urbem a Peucela urbe sexaginta millibus passuum, ab Hydaspe CXX millibus remota fuisse tradidit, non dubito quin satis bene Cunningham I p. 111 sq. ruinas vetustissimas prope urbem Shah-deri (Königsstadt) sitas ad veterem urbem Taxila rettulerit. cf. etiam Droysen II p. 132. 2.

103) cf. Diod. XVII, 86. 5, cuius numeri optime quadrant in regionem: nam ultra Hasan-Abdâl vicum montesque ingressus in campum Shah-dheri urbis ab ipsa urbe abest fere quadraginta stadia.

104) haec et quae sequuntur maximam partem omittit Arrianus.

105) Curtium sequens auctorem haec affero. Mophim mortui Taxilae filium res in Astacenis et Assacenis gestae cautum fortasse et suspiciosum reddiderunt. Hephaestioni certe non praesto fuerat. etiamsi Alexandro fidem mutare non cogitabat, tamen socium minime contemnendum neglegendumve iam appropinquanti Macedoni voluerit se ostendere. quod contra Alexander cum ille legatis Hephaestione et Perdiccae non occurrisset ac tum cum exercitu instructo accederet et Astae illius reguli reminiscens cautus magis quam timens ipse quoque acie instructa processit. Quae omnia ab historicis male ficta esse et per se veri dissimile est praesertim cum id quod de indignatione Macedonum et Meleagri Alexandrique vocibus cohaerens cum antecedentibus a Curtio affertur, dignissimum sit quod credatur et numeros quos Diodorus attulit, optime in regionem inter Habdan-Assul et Schah-deri quadrare supra viderimus.

quarto die aureas coronas ipsi amicisque omnibus et signati argenti octoginta talenta donavit. cui grato animo Alexander, cum antea hyparchi nomine et regno praedidisset[106]), tum et quae ille dederat remisit et mille talenta ex praeda sumpta, multa vasa aurea argenteaque convivalia, persicam vestem, triginta equos regios cum regiis insignibus addidit. qua liberalitate cum Indum obstringeret, Macedones incitavit[107]) qui aegre ferebant, tantam regis benevolentiam consumi in barbaro. neque tamen videntur intellexisse qua caussa Alexander commotus tanto opere familiariter uti studuerit principe Taxilensi. ille enim unicus adhuc trans Indum erat socius.[108]) tamen minus Alexandri caussa, quam ipsius; nam inimicitiae ei intercesserant cum Abhisare et Poro[109]) regibus potentissimis. quos iam cum Alexandro se posse debellare speravit atque si cui esset oboediendum maluit oboedire regi peregrino praesertim clarissimo. Alexandro autem eum beneficiis sibi voluit obligare, ut in inimicitiis ille permaneret cum ceteris et ipse rex uno certo socio iam nixus tutus progrederetur. legati sane etiam ab Abhisare, Abhisarae regionis supra Taxilarum terram intra Indum et Hydaspem sitae (Hasarae hodie vocatae) tum principe, cum ipsius Abhisaris fratre alii missi ex nobilioribus adierant, et a Doxareo[110]) nomarcha dona tradituri fidemque principum promissuri se suaque dicioni Alexandri Magni permittentium. tamen cum Assacenis nuper Abhisares societatem inierat auxiliaque miserat, neque socium aut amicum porro se praestitit.

Atque Taxilarum ipsorum mores miros quosdam et insolentes invenit. ut filiae quae propter parentum inopiam locari non possint adultae, iam in forum producebantur, ubi tuba tympanisque convocata plebe nubere solebant probatae probatis.[111]) Quod plures haberent uxores singuli Taxilis cum aliis commune est Indis. solos tamen vulturibus proiecisse Taxilas mortuos, quos alii comburerent auctores veteres tradidere. ubi uxores libenter patiebantur se comburi cum quae non facerent, ignominia afficerentur. Taxilis tum primum etiam Brachmanes Alexander vidit duos[112]), alterum seniorem tonsum,

---

106) Curtius VIII, 12, 14. iam Taxiles appellatur 'sequente nomine imperium in quemcumque transiret'. ceterum non omittam commemorare, regulum illum Omphim rectius nominari Tod putasse: Radjastan II p. 226, *Ὄμφιν* pro *Ὄφιν* scriptum ratus, cum graeca vox *ὄφις* redderet indicam tâk, quod etiam in Taxila inesse videretur. incolae 'Taxilae' a Plin. Nat. hist. VI, 78, commemorantur plurali numero vocis Taxiles, cf. *Ἀσσακανός* et *Ἀσσακανοί*.

107) praesertim de Meleagro historiolam affert Curtius VIII, 12, 17.

108) atque Alexander regem potentissimum maximisque opibus praeditum se voluit praestare, qui et inimicis maxime esset horrendus et erga amicos liberalissimus.

109) cf. Curt. VIII, 12, 12.

110) Doxareus ille quis fuerit omnino ignoratur

111) cetera lege apud Strabonem XV, 714 (ex Aristobulo.)

112) haec iam Aristobulum secutus (cf. Strabon. XV p. 714) scripsi et quae subinde legentur scribam. ceterum cum posterioribus eadem fere, pluribus tamen

iunorem comatum alterum. utrumque discipuli sequebantur[113]); diei maximam partem in foro morabantur, ubi consiliis datis, oleo sane sesamino vel super oculos manante perfusi ab eis, quos aggressi sint, quascumque volebant rerum venalium gratis auferentes.[114]) ita nutriebantur ex melle et sesamo panes condientes: ad Alexandrum cum venirent adstantes cenavere. in locum prope urbem situm[115]) digressi patientiam docebant. ubi in terram senior recumbens supinus solis aestum imbresque, iunior stans in altero pede lignum fere trium cubitorum manibus ambabus sustinuit et pede defatigato altero innixus ita totum degit diem. senior quadraginta iam annos corpus hoc modo exercens cruciansque vixerat. quorum quo magis et mores et philosophiam cognosceret rex alterum se comitari voluit. sed senior, Dandamis vocatus, se neque ipsum venturum esse contendit, neque alii concessurum ut Alexandrum sequeretur. quem cum nollet Alexander vi adducere ut secum iret, alteri iuniori Calano coepit persuadere ut comitaretur et hic valde ob id quasi incontinens esset vituperatus ab aliis sophistis[116]) Alexandrum iam secutus est.

---

verbis expressa Onesicritus rettulit apud Strab. XV p. 715. cuius iidem sunt Calanus et Dandamis (codd. Mandanis, quod vetus librariorum mendum potest esse: nam Plut. v. Al. c. 65 et Arrian. VII, 2, 4 Dandamin eum vocant; prior autem ex auctore certe Onesicritum hoc loco ipsum excerpente hausit), atque Aristobuli iunior seniorque Brachmanis; quod Onesicritus ad ipsos se missum esse ab Alexandro dixit certe (ut alia) finxit vir optimus. hoc concedemus missum eum fortasse ad illos qui rogaret ut ad Alexandrum venirent.

113) quindecim omnes numeravit Onesicritus. ceterum Arrianus VII, 2, 2, Megasthenem ut videtur secutus (cf. 2, 4) unius tantum Brachmanis commemorat discipulos: Dandamis. videtur Megasthenes Calanum Dandamis discipulum habuisse: quod re vera ita fuisse credibile non est; nam cum Dandamis alii se concessurum esse negasset ut Alexandrum comitaretur Calano alteri Alexander coepit persuadere ut se sequeretur: quod si Calanus Dandamis fuisset discipulus, neque Alexandrum secutus esset, neque Alexander eum sibi adiungere conatus esset.

114) Onesicritus nominat ficus et uvas, addit etiam divitum domos omnes patuisse illis in mulierum usque conclavia. ingressos autem cenae et sermonum fieri participes.

115) locum illum viginti stadiis ab urbe remotum fuisse tradidit Onesicritus cf. Strab. XV, 715. ceterum Strabonis ex Aristobulo adscitus locus XV, 714 ita restituendus est: *τὸν μὲν οὖν ἄλλον χρόνον κατ' ἀγορὰς διατρίβειν, τιμωμένους κτἕ. . . δειπνεῖν· καρτερίαν δὲ διδάσκειν παραχωροῦντας εἴς τινα τόπον πλησίον.*

116) quod Megasthenes scripsit, cf. Arr. VII, 2,4.

Res proximo anno continuabitur.
Charta operi perfecto addetur.

De Alexandri Magni expeditione Indica.

FASC. II.

Sed redeamus ad res ab Alexandro porro gestas. ad Porum, qui legatos non miserat, Cleocharem[117]) iussit ire, sperans Porum nominis Alexandri gloria et factis commotum secum pacturum esse. qui occursurum quidem se esse Macedoni promisit, neque tamen salutaturum sed bellaturum. quod cum audisset Alexander, diutius non iam Taxilis moratus sacrificiis solitis factis ludisque institutis gymnicis equestribusque et Taxilarum regionis, cui, quantum sibi poscebat Taxiles, adiecit, satrapa relicto Philippo[118]) Machatae filio cum aegrotis militibus belloque inutilibus ipse ad Hydaspem fluvium progressus est.[119]) procedenti ei Barsaentes ille Darei regis cum Besso interfector et postea Arachosiorum seditionis auctor cum amico regulo exiguae Indorum partis Samaxo[120]) vincti adducuntur cum XXX elephantis. quos Taxili comitanti Alexander tradidit, Barsaentem et Samaxum in custodiam dedit, priorem paullo post ut videtur supplicio affecit.[121]) Taxiles ceterique illius regionis principes subditi nunc ut

---

117) solus Curtius hoc tradidit VIII, 13,2, cui in hac re fidem habeo. cf. Lezium p. 33 adn. 2.

118) imperium militare Alexander Macedonibus tradere solebat, civilem administrationem, ut ita dicam, regibus permisit Indicis. quemadmodum utriusque, et regis Indici et satrapae Macedonici iura et officia discripta fuerint, accurate definiri nequit. cf. etiam Kaerst: Geschichte des hellenistischen Zeitalters I p. 363 adn. 2.

119) qua via Alexander profectus sit nusquam indicatur nisi quod Strabo XV p. 700: tradit: ἡ μὲν οὖν μέχρι τοῦ Ὑδάσπου ὁδὸς τὸ πλέον ἦν ἐπὶ μεσημβρίαν; sed legas velim quae infra scripserim de loco ubi Hydaspem transmiserit adn. 133.

120) vel Gamaxo, nam Curtii codices variant.

121) Curtius solus rettulit VIII, 13,3 Barsaentem cum Samaxo ibi adductos et in custodiam traditos esse. quid illis, praesertim Barsaente, postea factum sit non narrat. levius fortasse videatur, Barsaentem tum a Curtio Drangarum et Arachosiorum satrapam et Arachosiorum seditionis nominari auctorem, cum apud eiundem VI, 6,36 Alexandrum fugiat, quia cum Besso Dareum necaverat. fuit certe et ante et post Dareum necatum illarum regionum satrapa. Arrianus III, 25,14 breviter narrat eum occiso Dareo ad Indos τοὺς ἐπὶ τάδε τοῦ Ἰνδοῦ ποταμοῦ fugisse, captum tamen ab illis et ad Alexandrum missum et propter Dareum interfectum supplicio ab Alexandro effectum esse. cum non dicat quo tempore illa facta sint, non caussa est, cur Curtii narrationi omnino diffidamus. videtur enim Barsaentes Dareo necato primo ad Arachosios, tum Alexandro appropinquante ad Indos infra Cabul fluvium citra Indum habitantes se rece-

videtur Taxilae[122]), cum quinque milibus militum Alexandrum comitati sunt. nam Alexander pro militibus in expugnatis urbibus relictis novos semper studuit accipere, ut in eadem exercitus frequentia permaneret. intermiscuisse autem paullo post Indos videtur — neque solum Indos illos, sed ceteros quoque barbaros se sequentes — ipsis Macedonum Graecorumque ordinibus, ut nusquam fere illo quidem tempore sermo sit de Indis pugnantibus vel de aliis barbaris aut fortibus aut ignavis sed de Macedonum ordinibus solis.[123])

Lente Alexander movit imbribus illo tempore iam vehementer fusis et vias avias rivosque parvos torrentes, maiores fluvios, amnes quasi mare reddentibus impeditus. exeunte fere mense Aprili[124]) pervenit ad Hydaspem non sine pugna aliqua ut videtur. Spitaces[125])

---

pisse. ac si tum Alexandro Taxilis ad Hydaspem progredienti adducitur: est hodie quoque via secundum Kohat flumen trans Indum, quae conectit Kohat et Djhand urbes. ea fortasse cum Samaxo Indum transgrediens ut ad Porum se conferret, in Taxilarum potestatem pervenit Barsaentes. paullo post supplicio affectum esse eum Arriano credemus.

122) cf. Droysen II p. 124: *ὕπαρχοι* ab Arriano nominantur illi principes V, 8,5, inter quos Doxareos quoque videtur fuisse. eosdem dicit *νομάρχους* V, 13,3 cf. V, 18,2. sine dubio autem Spitaces *ὁ νομάρχης τῶν ταύτῃ Ἰνδῶν* Poro subditus erat (*ὕπαρχος*). errat igitur Lezius p. 35 adn. 1 extr.

123) cf. etiam Kaerst l. l. I p. 360.

124) ineunte vere Indum transgressus est Alexander: Taxila Martio mense fere exeunte, eum si sumimus venisse ibique mansisse ad Idus fere Apriles usque, tertia parte Aprilis incipiente eum ad Hydaspem castra posuisse probabile est. quo nisi lente profectus esse non videtur cum et urbes regionesque nondum superatas in itinere eum debellasse putemus, et imbribus procellisque eum fuisse inhibitum satis sagaciter videantur animadvertisse. iam in Hydaspis ripa dextera satis diu eum moratum esse ex omnibus quae de difficultate transeundi narrantur elucet. pugna ipsa mense Munychione facta est (Arr. V, 19,3), ad Hydaspem in ripa sinistra si triginta dies eum mansisse Diodoro XVII, 89,6 concedemus, circa decimum septimum diem mensis Iunii in Glausas profectus nundino fere post, *κατὰ θερινὰς τροπὰς* ad Acesinem castra posuit, cf. Strab. XV p. 692 Arr. Ind. 6,5. quibus repugnare videtur Arrianus exp. V, 9,4 (vide Kaerst. l. l. p. 363 adn. 5) Droysen l. l. p. 142 adn. 2 eumque probans Lezius p. 39 adn. 2 putant Arriani verba, qui *μάλιστα* adiciat, premenda non esse. uterque enim Arriani verba ita interpretantur quasi scripsisset Alexandrum solstitiali tempore ad Hydaspem pervenisse. hoc si Arrianus scripsisset plane erravisset; sed omnino non dicit *κατὰ τροπὰς* verum *μετὰ τροπὰς μάλιστα*. quod aut interpretandum est: p o s t solstitium aestivum, exeunte igitur mense Iunio, quod aperte repugnaret narrationi accuratae eiusdem scriptoris V, 19,3, aut: ad solstitium aestivum fere versus, h. e. aliquo tempore ante solstitium aestivum, quae si propter *μάλιστα* non premimus, cum reliquis congruere concedemus.

125) Lezius Droysenium valde vituperat quod Polyaeni narratiunculam IV, 3,21 (de Pittaco sane, sed sine dubio scribendum est *Σπιτάκης*) in contextum receperit indeque concluserit Spitacem regnasse inter Pori et Taxilis regna et fusis copiis ad Porum fugisse. equidem valde laudo Droysenium quod ex minimis scriptorum vestigiis tanta sagacitate vera constituerit. ac primum quidem Spitaces ipse ab Arriano V, 18,2 traditur nomarcha fuisse Indorum incolentium eam regionem, ubi pugna facta est. tum si controversiae intercessere inter Taxilem et Porum — et hoc satis notum — verisimile est etiam cis Hydaspem Porum regnasse. iam idem Arrianus narrat V, 9,2 Alexandrum cis Hydaspem diviso in multas partes exercitu alios aliam in partem regionis illius duxisse, v a s t a n t e m q u a e h o s t i l i a e r a n t undo apparet civitates parvulas

enim Pori fratris filius, qui in ea ipsa regione ubi Alexander Hydaspem attigit, et cis et trans flumen nomarcha fuisse videtur, Alexandro se opposuit loco angusto, sed facile repulsus est. Hydaspes fluvius quattuor tum stadia latus erat.[126]) quem Alexander eodem modo se posse transire olim fortasse putaverat, quo Euphratem, Tigrimque superaverat; desperans tamen audito Porum fortissimum illum regem, qui non facile debellari poterat, in ulteriore fluminis ripa cum exercitu satis magno consedisse hostes transitu prohibiturum aut transeuntes aggressurum, ad amnem traiciendum navigiis uti statuit. quare ne tempus et operam consumeret in aedificandis novis navibus, Coenum Polemocratis filium iam Taxilis ad Indum flumen remiserat, qui navigia ad id instructa dissolveret transferretque ad Hydaspem. Coenus breviores in duas, trigintaremes[127]) in tres partes dissolutas curribus ad Hydaspem advectus est. ibi iam compactae rursus et in amnem subductae sunt.[128]) atque Alexander castra quidem munivit

---

ibi tum fuisse quae cum Poro fecerint. deinde Plutarchus, de fluviis s. v. Hydaspes narrat, cum Porus copias collegisset ut Alexandro opponeret, elephantum regium in collem properavisse Solis sacrum et humana voce exclamavisse: o rex maxime, genus a Gegasio deducens, noli obviam ire Alexandro; *Διὸς* (fortasse scribendum *οὗτος*) *γάρ ἐστι Γηγάσιος. καὶ τελέσας τὸν λόγον ἀπέθανεν* hunc collem postea 'elephantum' (*'Ελέφαντα*) nominatum esse *ὡς ἱστορεῖ Δέρκυλλος*... mirum illud de elephanto aperte e confutatis indicis verbis balnath (dol) et bilnath vel pilnath (elephantus) exortum esse recte contendit Cunningham l. l. I p. 165. exstat autem ille collis Bâlnâth-ka-Tila cum templo ('on the summit, which was formerly dedicated to the sun' Cunningh.) inter Asanot et Shahrud (ad Hydaspem) urbes, vide chartam Cunn. VII., cis Hydaspem igitur. Mogal Bey qui peragravit illam regionem exeunte saeculo XVII° appellat collem 'Jogion-di-Tibi' vel 'turrem Iogiorum' quorum princeps nominatus est 'Bilnât'. addit Cunningham: 'Abul Fazl also mentions the Cell of Balnât' and the attendant Jogis or devotees, from whom the hill is still sometimes called Jogi-Tila'. Jogi vox eadem est atque Plutarchi Gegasios, quod indice Jajâti debebat esse; sacerdotes igitur de deo nominabantur. iam etsi non puto e Plutarchi verbis illis concludi posse Porum primo voluisse in dextera ripa Hydaspis obsistere Alexandro, tamen illud templum antea Poro subditum fuisse videtur, cui consulenti fortasse deum sacerdotes templi suaserunt ne resisteret Macedoni. denique Polyaeni narratiuncula illa tam accurate nobis non solum Spitacis insidias Alexandrique impetus rationem, sed etiam loca ipsa describit, ut vel hodie investigare possimus. verisimile autem est eum non procul ab Hydaspe Alexandro obstitisse, cumque Polyaenus narret *κατὰ τὴν ὁδὸν* hoc esse factum, locus fortasse proxime Jalâlpur urbem quaerendus est; ibi enim (vide chartam VII Cunningh.) est *αὐλὼν* ille eumque finientes angustiae, cumque Alexandrum via qua conectit Shah-deri, Tschauntra, Dudhial, Asanot, Jalâlpur urbes profectum esse Cunninghamio concedendum est, necesse erat illas angustias ab Alexandro superari.

126) cf. Curtium VIII, 13,8.

127) praeter duas illas trigintaremes, quas Hephaestion et Perdiccas aedificaverunt alias ipse Alexander secum videtur adduxisse cum navibus secundo Indo vectus sit ad pontem ab Hephaestione factum. Arrianus certe V, 13,1 complures novit trigintaremes, nisi mavis ibi corrigere *τοὺς δὲ ἄλλους ὑπασπιστὰς ἄλλη τριακόντορος ἔφερον*, quod ego quidem non probem.

128) Curtius VIII, 10,3 haec tradidit: 'illi (Hephaestion et Perdiccas) quia plura flumina superanda erant, sic iunxere naves, ut solutae plaustris vehi possent rursusque coniungi.' quae nescio cur non conecti possint cum Arriani nuntio V, 8,4:

ad fluvii ripam citeriorem eo loco ubi flumen transitum dabat, cum in ulteriore Porus cerneretur cum toto exercitu et elephantorum agmine. qui vix Alexandrum castra munivisse conspexit, cum ipse eodem loco in sua ripa consedit. praesidia tamen ad reliquas quoque amnis partes misit, ubi facilius traici poterat. quibus cognitis Alexander et ipse milites in partes ripae alios alias diduxit, partim secundum Hydaspem progressus vada inspecturus partim regionem nondum subactam interiorem in postatem redacturus. sed quo ripae Alexander movebat, eodem Porus ripae ulterioris sequebatur. levia quoque proelia in insulis parvis medio in amne sitis inter utrosque conserebantur: modo Macedones victores, modo Indi.[129]) iam rex securum reddere voluit Porum. et quo certior ille fieret Alexandrumque in Hydaspis ripa citeriore velle morari confideret, dum hieme fluvius non iam ita late fusus transeundi copiam daret locis pluribus maiorem, frumentum quantum potuit intuentibus Indis curavit comparandum inque castra congerendum. eodem tamen tempore in alium alia locum vecta navigia et utres stramentis referti et in ripa equites peditesque hic illic consedentes sollicitabant Porum. ita temporis spatio aliquanto frustra consumpto iam novi aliquid Alexander instituit: ingentis Indorum exercitus ad pugnam bene instructi inspicientis impetum in traicientes veritus inque primis ne vix equi occurrentibus elephantis multis et adspectu et clamore terrentibus in ripam ulteriorem ex flumine escenderent, Ptolemaeo[130]) duce equites ad maximam partem huc illuc in ripam diductos iussit clamare cetera-

---

τὰ πλοῖα . . . ξυντεμόντα κελεύει φέρειν κτἑ. nam *ξυντέμνειν* hoc loco nihil est nisi dissolvere in suas partes. quare errasse puto Droysenium haec narrantem II, 226: 'auf diese Nachricht sandte Alexander seinen Strategen Koinos an den Indus zurück mit dem Befehl, die Fahrzeuge der Stromflotte über Land zersägen und auf Wagen möglichst schnell an den Hydaspes bringen zu lassen.' idem tradidere Lassen II p. 155 et Hertzberg II p. 243. certe si Alexander non solum Taxila quasi Dareo olim subditum regnum sed totam Indiam, cum expeditionem Indicam subiret, suae dicionis facere in animo habebat, Hephaestionem et Perdiccam verisimile est iussos esse naves sic iungere ut facile dissolvi possent. fidem igitur habeo hoc loco Curtio, praesertim cum non pugnet cum Arriano.

129) cf. Curtium VIII, 13,12 qui ibi Symmachum et Nicanorem fortissime ambos pugnantes addidit cecidisse.

130) haec Curtio (VIII, 13,18 sq.) credi possunt. erravit tamen in sequentibus cum taceret de Cratero cum maiore parte exercitus relicto, diceretque 23: 'qui cum Ptolemaeo inferiorem obsederunt ripam' et 27 'quippe adhuc Porus Ptolemaeum tantum intuebantur'. ut recte Lezius p. 98 contendit, Arrianus qui de Cratero rettulit ex Ptolemaeo sine dubio hauriens certe Ptolemaeum commemorasset, qui in describenda sua virtute numquam sibi videatur defuisse. neque hoc omittendum, eundem Curtium VIII, 14,15 haec dicentem induxisse Alexandrum: 'cum ego . . . Ptolemaeo Perdiccaque et Hephaestione comitatus in laevum cornu impetum fecero'. unde apparet primum: Ptolemaeum ab Alexandro relictum non esse in dextera ripa, tum ex diversis fontibus hausisse Curtium in pugna Pori enarranda. nam de altero Ptolemaeo cogitari nequit. Lassen II p. 157 Curtii ut videtur nuntio falso nixus Ptolemaeum cum Cratero ab Alexandro in dextera Hydaspis ripa relictum esse scribit. vide etiam Lezium p. 100.

que quae in transitu parando solerent fieri tumultuare. quibus plures per noctes peractis Poro nocturni tumultus metum ac suspicionem voluit adimere atque evenit quod fore speraverat. Porus enim primis semper noctibus ubi clamor existeret eo elephantos adduxit. cum tamen irritum esse et vanum Macedonum terrorem cognosset, iam in castris remansit speculatoribus tantum in pluribus locis dispositis. iam flumen transmittere Alexander poterat conari.[131])

Ac simul cum Abhisare et cum Poro nisi pugnare volebat celeriter posteriorem debellare debuit. nam Abhisares sane legatos dona ferentes Taxila ad Alexandrum miserat, metuens certe tum ne in ipsum iam Alexander moveret solum, sed iam antea inimicissimum se praebuerat Alexandro et postea Taxilae regno aucto ut videtur gravatus, fortasse etiam ut belli gerendi socius esset a Poro rogatus auxilio se venturum esse promiserat. neque longe tum ab Alexandri Porique castris abesse dicebatur.[132]) prius autem Alexander depugnare statuit Porum, quam cum Abhisaris copiis se coniunxisset. sed videamus quemnam traiciendi fluminis locum sibi rex sumpserit.[133])

---

131) iam quae Curtius VIII, 13,20 narrat, Alexandrum ut Porum falleret, in diversa parte ripae iussisse tabernaculum suum statui assuetamque comitari ipsum cohortem ante id tabernaculum stare et omnem apparatum regiae magnificentiae hostium oculis de industria ostendi, Attalum etiam aequalem sibi et haud disparem habitu oris et corporis utique cum procul viseretur, veste regia ornatum speciem praebuisse ipsum regem ibi ripae praesidere nec agitare de transitu, per se incredibilia non sunt. videntur facta esse extremis diebus transitum antecedentibus et revera ultimo die Attalus (cum Meleagro) in dextera ripa fluminis relictus erat (v. Arr. V, 12,1). immerito igitur Lezius haec Curtii in suspicionem vocat p. 98.

132) sane tacet de Abhisare hoc loco Arrianus, sed scit V, 20,5 eum statuisse copias conectere cum Poro. vide etiam IV, 27,7. Diodorus XVII, 87,3 quadringenta tantum stadia Abhisarem, quem Embisarum nominat, afuisse dixit (cf. XVII, 90,4), et Curtius VIII, 14,1 scripsit: '(Porus, cum Alexander flumen superasse nuntiaretur) primo . . . Abhisarem belli socium, et ita convenerat, adventare credebat'. (hoc loco non ex eodem fonte hausisse Diodorum et Curtium recte mihi videtur contendisse Droysen II p. 128 adn. 1.) utrum re vera foedus factum sit quod testantur Curtius et Diodorus, negat Lezius p. 109, levius est. certe ex Arriani verbis V, 20,5 collata severitate Alexandri in Abhisarem qui tamen post victoriam ad Hydaspem fratrem se regnumque tradentem cum legatis misisset (V, 20,6) elucet non solum cogitasse Abhisarem de societate cum Poro, sed iam in itinere fuisse.

133) de loco ubi Alexander Hydaspem transmiserit inter recentiores criticos diversae feruntur opiniones cf. Hertzberg II, 249. Cunningham I p. 159 sq. fusius de eo scripsit. atque contendit Alexandrum primum ad Hydaspem venisse eo loco ubi hodie Jalâlpur urbs extat, via usum quae conectit Shahderi-Tschauntra-Dudhial Asanot-Yang-Jalâlpur urbes; iam nocte ante pugnam cum Poro factum ab hac urbe satis procul ripa profectum venisse Darapur vel Dilawar in urbem (vide chartam eius VII). ibi fluvium transgressum victoriam reportasse de Poro ad Mong oppidum hodie vocatum. atque omnes auctorum nuntios in hunc locum quadrare.

duae erant viae quibus uti poterat Alexander Taxilis (Shahderi) ad Hydaspem progrediens. altera attingit urbes Shahderi-Rawalpindi-Manykiâla-Rôtas-Djhelam. Baber ille imperator nominat eam viam superiorem; via quam ille inferiorem appellat conectit urbes Jangi-Tschauntra-Dudhiâl; inde duae viae digrediuntur:

Ubi Hydaspes adhuc in meridiem versus iam in occidentem flectitur, prope urbem nostratium Darâpur, altae erant rupes, vel potius

---

meridionalior procedit per urbem Chakowâl et montes salarios aut ad Pind-Dadân (contra Mianî in sinistra Hydaspis ripa) aut ad Ahmedabad prope Bheṛa (vel Bhiṛa, vel Bheḍa) vetus contra Bhiṛa nostratium in sinistra ripa); orientalior a Dudhiâl urbe per Asanot urbem et Bunhâr fluvii vallem ad Dilawar ad Hydaspem aut per Asanot et Vang urbes ad Jalâlpur ad Hydaspem. via illa superior exercitui vix utilis est (cf. Cunningh. p. 166), praeterea brevior est quam quae congruat cum Plinii mensura, qui Nat. hist. VI, 21 tradit inde a Taxilis ad Hydaspem CXX milia passuum progressum esse Alexandrum sunt fere CLXXX kilometra; via autem superior (Shah-deri-Djhelam) adhibitis chartis et teste Cunninghamio p. 167 longa est CL tantum kilometra; quod contra viae inferioris per Dudhiâl urbem vel ad Pind-Dadân (et Ahmedabad) vel ad Jalâlpur fere ca CLXXX sunt kilometra. iam Strabonis verba XV p. 700 *ἡ μὲν οὖν μέχρι τοῦ Ὑδάσπου ὁδὸς τὸ πλέον ἦν ἐπὶ μεσημβρίαν*, quae minime referri posse in viam superiorem iam Cunningh. p. 168 monuerat, melius quadrant in viam Shah-deri-Dudhiâl-Asanot-Vang-Jalâlpur, quam in viam Shah-deri-Dudhiâl-Pind-Dadân vel Ahmedabad, nam posteriores accurate meridionales sunt. porro infra videbimus Sopithis regiam urbem fuisse eo loco, ubi hodie Bhiṛa veteris urbis (Bhiṛa nova in adversa ripa [sinistra] Hydaspis extat,) ruinae prope Ahmedabad teste Cunninghamio reperiuntur. Alexandrum eo loco vel proxime Pind-Dadân ad urbem Hydaspem attigisse vix credibile est; tum enim scriptores veteres de situ Sopithiani regni vix errare potuissent. noverat sane Alexander Sopithem et regnum eius iam antequam cum classe a Nicaea urbe proveheretur, nam mandavit ducibus exercituum, Cratero et Hephaestioni, ut in regia eius urbe se expectarent; sed aut Sopithes cum canibus illis post victoriam a Poro reportatam ad Alexandrum Nicaeam venerat aut Alexander cum parte exercitus eo venerat antequam Hydaspem transmiserat. restat igitur Jalâlpur urbs prope quam Alexander Hydaspem attigisse verisimile est. singula quae scriptores veteres de regione transitus narrant, optime ad ripam Hydaspis inter Jalâlpur et Darapur referri possunt. de Darapur vetere, urbe Bucephalis, et de Mong, loco urbis Nicaeae vide infra adnotationes. Cunninghami sane insula non amplior ceteris (v. Curt. VIII, 13,17) videtur esse sed minor (vide Cunningh. chart. VII); sed insularum illarum formas vi fluctuum saepe quotannis variari ipse Cunningham testatur, ut fortasse insulae, quae hodie complures sunt illo loco, olim unam tantum maiorem omnibus formarent. iam Curtius l. l. tradit: 'fossa quoque praealta haud procul ripa quam tenebat ipse non pedites modo sed etiam cum equis viros poterat abscondere'. hac fossa recte Alexandrum Cunningham a Jalâlpur urbe ad Dilawar Curtio teste progressum esse arbitratur. sed Curtii 'haud procul ripa' repugnat Arriani verbis, qui accuratius tradit: *ἦγεν ἀφανῶς πολύ τι ἀπέχων τῆς ὄχθης τοῦ μὴ καταφανὴς εἶναι ἄγων ἐπὶ τὴν νῆσον κτέ.* fossa illa Curtii enim sine dubio vallis erat formata montibus (cf. *τῇ ἄκρᾳ* Arriani) intra Bhunar et Hydaspem fluvios (v. Cunningh. chartam VII; quod eandem esse puṭat *ἄκραν* Arriani et Curtii petram, ubi navis una illisa haerebat, errat sane Cunn.; certe haec petra in medio fluvio erat, ac fatetur Cunn. illis in locis extare tales petras). optime autem Arriani verba quadrant in regionem a Cunn. indicatam. Arrianus porro tradidit: *ἀπεῖχε δὲ ἥ τε ἄκρα καὶ ἡ νῆσος τοῦ μεγάλου στρατοπέδου ἐς πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν σταδίους.* distant sane Jalâlpur et Darapur urbes directa via secundum flumen ca C stadiis; sed si iter Alexandri quod in valle inter montes Cunningh. indicat, metiris, sunt fere CL stadia. iam *ἄκρα ἦν ἀνέχουσα τῆς ὄχθης τοῦ Ὑδάσπου, ἵνα ἐπέκαμπτεν ὁ ποταμὸς λόγου ἀξίως* (Arr. V, 11,1) ac revera apud Darapur urbem flumen Hydaspes *λόγου ἀξίως* curvatur. Curtius denique VIII, 14,1 narrat Porum nuntiato Alexandrum Hydaspem superavisse, primo Abhisarem credidisse adventare. via autem ab Abhisâra veniens iam prope vel potius paullo supra Djhelam urbem Hydaspem superat et Abhisares si re vera venisset, certe hac via usus esset; sed cum via secundum flumen a Djhelam urbe ad Darapur ducat, Porus audito Alexandrum prope Darapur transmisisse amnem, etiam tum poterat arbitrari

mons ad flumen usque decurrens, varii generis arboribus plenus, eiusque e regione in amne medio insula silvosa et propter solitudinem hominum pedibus non trita. hic etiam speculatorum oculis occulti flumen superare bene poterant Macedones. accessit quod illo loco iam olim solebant flumen transmittere ut nunc solent qui ex regionibus septentrionalibus veniunt. cum in castris magnis prope Ialalpur urbem positis quae ad traiciendum amnem necessaria erant aperte ut sentirent hostes pararentur et crederet Porus illo ipso loco Macedones conari transmittere Hydaspem, Craterum tantum ibi rex reliquit cum propria hipparchia et Arachotis Paropanisadisque equitibus, Alcetae Polysperchontisque legionibus ex Macedonum phalange, Indorum denique quinque millibus — Taxilem tamen eiusque fratrem ipse secum adduxit — atque prius Hydaspem transire vetuit, quam Porus cum toto exercitu aut certe cum elephantis e castris egressus in ipsum vertisset Alexandrum.

Atque electos amicorum agema Hephaestionisque Perdiccae Demetrii equites, Bactrianos porro Sogdianosque et Scythas, Daos hippotoxotas et ex phalange hypaspistas Clitique Coenique legiones cum sagittariis Agrianisque Alexander assumpsit ipse, via aliquantum a ripa remota circuitum faciens, ne ab hostibus conspiceretur ad montem insulamque profecturus. aberat mons a castris magnis, si viam emensam respicias, centum fere et quinquaginta stadiis, si iter secundum flumen metiaris centum fere stadiis; quare medio inter eum et castra magna loco Meleagrum Attalumque et Gorgiam cum propriis legionibus equitibusque ac peditibus mercenariis constituit[134]), man-

---

venire Abhisarem. si Meleagrum et Attalum et Gorgiam in media inter insulam et castra Crateri ripa reliquit rex, consederunt illi paulo infra Mandiala hodie vocatum vicum, ab utroque loco fere L stadia remotum.

134) hos tres duces praeter ipsorum copias duxisse mercenarios recte contenderunt Droysen, alii; quod contra Lezius p. 35 adn. 2 coll. append. XVIII dixit ex ipsis Arriani V, 12,1 verbis coll. IV, 22,7 licere colligi horum trium ducum *τάξεις* non fuisse Macedonum sed mercenariorum. sed si unam certe legionem illorum Macedonum fuisse ostendero, propter locutionis Arriani formam V, 22,1 tres illas legiones Macedonum fuisse concedes. sed quinam praetores mercenariis peditibus tum proprii fuerunt praefecti? videamus. Droysen II p. 130 adn. 1 lacunam statuit esse in Arriani verbis: V, 11,4 *οἱ γὰρ ἐλέφαντες μόνοι ἔφη ἄποροί εἰσιν πρὸς τοὺς ἐκβαίνοντας ἵππους· ἡ δὲ ἄλλη στρατιὰ εὔπορος.* verbum postremum addi solebat ex codice quodam; in alio legimus *εὐπετής* depravatum. melius proposuit Sintenis *οὐκ ἄπορος*. sed quid illo loco ab Arriano positum fuerit incertum est. hoc tamen minime dubium est, non bene Droysenium *ἡ δὲ ἄλλη στρατιὰ* rettulisse ad Alexandri regis exercitum. quod porro dicit: 'wenigstens die Phalangen des Gorgias Attalos Meleagros müssen in der Lücke genannt gewesen sein; es muß da gestanden haben, daß das übrige Heer mit Alexander ausrückte, daß diese drei mit den Söldnern zu Fuß und zu Pferd die Verbindung zwischen Krateros und Alexander erhalten und je nach Umständen zur Unterstützung der Bewegungen Alexanders oder des Krateros bereit sein sollten', equidem non intellego. recte tamen animadvertit, non commemorari legiones Balacri Philippi Philotae. illas tres putat praesidii loco in nuper subactis regionibus potuisse relinqui. atque hoc quidem concedamus verisimile esse Philippum, cuius IV, 24,10 nominatur taxis, Taxilarum satrapam cum sua ipsius legione remansisse.

dans ut si Indos proelio implicitos viderent, ipsi cum legionibus in partes divisis transirent. praeterea omnem per ripam custodes erant dispositi, tanto distantes spatio ut inter se videre et audire bene possent. qui et antea et tum praecipue per noctes variis ex locis clamorem tollebant ignesque inflammabant; quae hostes non iam terrebant. Alexander autem ad locum transitui statutum per noctem procellosam et obscuram, luna non lucente progressus[135]), utres iam antea illuc apportatos ipsa nocte stramentis curavit complendos con-

---

nam Alexander postea iussit eum milites suos adducere (Arr. VI, 2,3); iam antea Alexandro imperante Sisicotto satrapae contra Assacenos rebellantes auxilio venerat V, 20,3, quod sine exercitu, parvo sane, non potuisset facere. etiam Proexem Paropanisadarum satrapam *ξὺν στρατιᾷ* Alexander reliquerat III, 28,4; sed errat Droysen de Balacci Philotaeque legionibus relictis, neque erant nominatae in lacuna illa Droysenii quam satis magnam statuit esse. sed quid illis factum est? statim dicam. Alexander cum Indiae partes occidentales aggressurus exercitum divideret (IV, 22,7 Arr.), Hephaestionem et Perdiccam dimisit cum legionibus Gorgiae Cliti Meleagri et parte dimidia equitum amicorum et equitibus mercenariis omnibus. ipse Alexander secum duxit hypaspistas, reliquos amicorum equitum *καὶ τῶν πεζεταίρων καλουμένων τὰς τάξεις καὶ τοὺς τοξότας καὶ τοὺς Ἀγριᾶνας καὶ τοὺς ἱππακοντιστάς*. mercenarii pedites nusquam nominantur. omnes relictos fuisse credibile non est. aut igitur inter Alexandri legiones *πεζεταίρους καλουμένας* reperiemus aut Gorgiae Cliti Meleagri legionem unam alteramve compositam ex mercenariis peditibus credemus. nam pedites mercenarios in legiones distributos fuisse iure statuemus. sed Gorgiae Cliti Meleagri legiones mercenarios fuisse putamus? de Meleagro conferas Arr. III, 11,9 III, 18,2 et 4. mittit rex cum Parmenione in Persida *τοὺς Θετταλοὺς ἱππέας καὶ τοὺς ξυμμάχους καὶ τοὺς μισθοφόρους τοὺς ξένους καὶ ὅσοι ἄλλοι τοῦ στρατεύματος βαρύτερον ὡπλισμένοι*, ubi *οἱ μισθοφόροι οἱ ξένοι* non solum equites intellegendi sunt, sed et equites et pedites mercenarii, nam Alexander pedites tantum Macedones atque equitum amicos cum prodromis Agrianosque cum sagittariis secum abduxit. iam (§ 4) inter ipsos pedites Macedones apud Arrianum accurrunt Meleagri et Perdiccae (§ 5) legiones. alteri postea Clitum praefectum esse eamque *ἀκοντιστῶν τάξιν* nominatam esse infra exponam. V, 12,2 autem nominatur Cliti legio inter phalangitas. solius Gorgiae agmen ex mercenariis constitutum esse posset (non formatum videtur esse ante Alexandri expeditionem Bactricam). sed repugnat Arr. V, 12,1 quo teste aut Meleagri Attali Gorgiae *τάξεις* omnes mercenariorum erant aut nulla. restat igitur ut putemus pedites mercenarios apud Arr. IV, 23,1 aut omissos aut comprehensos esse inter milites pezhetaeros appellatos. iam evolvamus Arriani III, 12,2 sq.: *κατὰ μὲν τὸ δεξιὸν κέρας ἐχόμενοι τῆς βασιλικῆς ἴλης τῶν Ἀγριανῶν ἐτάχθησαν οἱ ἡμίσεις ὧν ἡγεῖτο Ἄτταλος καὶ μετὰ τούτων οἱ Μακεδόνες τοξόται, ὧν Βρίσων ἦρχεν, ἐχόμενοι δὲ τῶν τοξοτῶν οἱ ἀρχαῖοι καλούμενοι ξένοι καὶ ἄρχων τούτων Κλέανδρος* . . . (3) *τῆς δὲ βασιλικῆς ἴλης καὶ τῶν ἄλλων ἑταίρων προτεταγμένοι ἦσαν τῶν τε Ἀγριανῶν καὶ τῶν τοξοτῶν οἱ ἡμίσεες καὶ οἱ Βαλάκρου ἀκοντισταί*. ex hoc exercitus divisione conicio etiam Balacri milites fuisse mercenarios. duas igitur hoc loco haberemus quasi legiones mercenariorum, unam Cleandri, alteram Balacri. atque Balacri taxis commemoratur IV, 24,10. sed quid Cleandri postea factum est legione? Cleander ipse cum Sitalca et Menida, sed sine exercitu in Median missus est: duces hi tres Parmenionis loco praetores esse iussi erant. (III, 26,3). legioni Cleandri tum praefectus videtur esse Philotas, cuius taxis primum commemoratur III, 29,7. iam si Philotae et Balacri milites mercenarios pedites fuisse nobis persuaserimus facile concedemus V, 12,1 revera praeter Attali Gorgiae Meleagri legiones Macedonicas commemorari Philotae Balacrique legiones, etiamsi non duces ipsi nominantur.

135) vide Plut. vit. Alex. 60 in Curt. VIII, 13,23; qui de tenebris addit: 'ut vix colloquentium inter ipsos facies noscitarentur'.

suendosque diligenter, ne fallerent ingressos. pleraque porro navigia, inter quae etiam trigintaremes nonnullae, in partes dissoluta illuc vecta et clam compacta in silva condita erant. et quasi divinitus adiuvarentur Macedones, strepitum armorum instrumentorumque atque ducum imperantium militumque clamorem largus imber illa nocte e caelo effusus raroque modo repressus[136]) tonitrusque perpetui inauditum hostibus reddiderunt cum fulmina lucem hic illic praeberent necessariam, nonnullos sane etiam perstringerent.

Paratis ad transitum omnibus sedatoque vento et imbre sub lucem[137]) Hephaestione duce[138]) utribus vecti equites peditumque quot navigia minora poterant recipere, ne prius ab hostium speculatoribus cernerentur, quam insula praeterita iam ipsam ripam peterent, in insulam versus paulloque supra eam profecti protenderunt eamque secundo flumine praetervecti[139]) iam fluvii ripae appropinquabant sinistrae. ipse Alexander cum Ptolemaeo Perdicca Lysimacho corporis custodibus Seleuco hetaero hyspaspitisque dimidiatis unam conscendit trigintaremem, aliis hypaspistae reliqui usi sunt et quot peditum ceterorum essent reliqui. speculatores autem cum Macedones viderent, insulam iam praetervectos, quam celerrime ad Porum equitant nuntiaturi Alexandrum conatum esse amnem superare. interea Alexander cum trigintaremibus priorem exercitus partem superans primus ipse egressus e navi assumptis qui trigintaremibus afferebantur iam equites quosque escendentes in ordines collocavit — equites enim primos prioris partis iusserat exire — atque instructa acie paullulum progressus locorum nescium in aliam se cum militibus insulam venisse intellexit, satis magnam et ipsam neque nimis a ripa distantem, ut vix procul appareret insula.[140]) largus autem illorum dierum imber — pugna

136) vide Curt. l. l.

137) hoc tradit Arrianus recte; prius enim propter procellam et imbres flumen transire non potuisse videntur, vide Curt. l. l. qui tradit 'obrutique milites nimbo in terram refugerunt navigiis ratibusque desertis.' errat tamen cum rem augens regem nocte profunda flumen transgressum esse dicit. transiit s u b l u c e m.

138) de Hephaestione vide quid infra scipserim.

139) Droysen II p. 132 scripsit: 'Der Strom fluthete rauschend an den hohen Ufern der Insel vorüber; oberhalb derselben sollte das Heer übersetzen'. Lezius p. 35 adn. 4 assentitur addens: quia sic ab hostibus infra insulam tendentibus conspici non poterant. sed nusquam traditur hostium speculatores tantum infra insulam constitutos fuisse. immo cum insulam priorem praetervecti statim ab hostibus cernerentur verisimile est, speculatores eorum etiam supra alteram insulam maiorem in ripa sinistra fuisse collocatos.

140) Droysen II, 133 haec dixit: 'die Gewalt des Stromes hatte das niedrige Erdreich am Ufer durchbrochen und einen neuen wasserreichen Arm gebildet'.. quae non insunt in Arriani verbis. affert sane Plutarchus ex Alexandri epistula (v. Al. 60) neque per se veri dissimile est. Arriani auctor aperte in medio relinqui voluit, utrum illa aquarum eluvies tum orta esset an iam dudum antea. duae erant igitur re vera insulae, prior paullo minor (οὐ μεγάλην, νησῖδα appellat eam Plutarchus), altera fortasse tum demum facta, multo maior. Curtii auctor VIII, 13,17 unam tantum, sine dubio posteriorem novit insulam.

enim facta est paullo post Idus Maias — aquas auxerat, ut nequirent equites reperire vadum timerentque ne aeque difficilis hic transitus fieret ac prior fuisset. vado tandem reperto vix progredi poterant Macedones cum aquae altissimae peditum papillas fere mammillares, equorum paene capita aequarent. his quoque satis difficulter superatis rex Hydaspis fluvii ripam ulteriorem vix conscendit cum aciem instruxit. atque equitum agema ordinumque equestrium fortissimos electos ad dextrum duxit cornu, hippotoxotas universo equitatui praeponens. equitibus iam adiunxit pedites, ac primos quidem hypaspistas regios, Seleucus quos ducebat, deinde agema regium, tum reliquos hypaspistarum ordines prout illo die inter se sequerentur posuit. hypaspistarum iuxta cornu a parte altera sagittarios Agrianosque, ab altera collocavit acontistas. erant autem equitum quinque fere millia, peditum et hypaspistarum et levis armaturae viginti sex.[141]) iam pedites

141) Hephaestione duce Cliti Coenique milites relictos esse, qui viam ab Abhisara venientem tuerentur Droysen suspicatus est II p. 132 et adn. (cf. Köchly-Rustow l. l. p. 299, Hertzberg II p. 251 adn. 1.) Hephaestionem videri relictum esse cum non nominaretur inter eos qui una cum Alexandro ipso amnem transmisissent (Arr. V, 13,1). sane apud Curtium adest Hephaestion (VIII, 14,15) in ripa alteriore ante pugnam cum Poro factam. sed hic Curtii nuntius non fide dignus videtur esse Droysenio. videamus autem num recte Clitum Coenumque remansisse dixerit. atque Arrianus quidem haec tradidit: V, 12,4 *καὶ ἡ μὲν ἄλλη στρατιὰ αὐτῷ . . . ὅσους τῶν πεζῶν τὰ πλοῖα ἐδέχετο ἐπέρα κατὰ τὴν νῆσον.* V, 13,1 *αὐτὸς δὲ τριακοντόρου ἐπέρα καὶ ἅμα αὐτῷ . . . τῶν ὑπασπιστῶν οἱ ἡμίσεες· τοὺς δὲ ἄλλους ὑπασπιστὰς ἄλλαι τριακόντοροι ἔφερον.* nusquam sane hoc loco aperte de Cliti Coenique legionibus sermo est. sed ne de sagittariis quidem, de Agrianis, de iaculatoribus. in prioribus dictum est: *ὅσους τῶν πεζῶν τὰ πλοῖα ἐδέχετο ἐπέρα.* nonne inter illos pedites etiam Cliti Coenique milites esse poterant? neque tamen illud sumam. sed mirum est partem hypaspistarum dimidiam in una trigintaremi vectam esse, cum reliqui hypaspistae pluribus usi esse dicantur? equidem pro certo habeo, si non ab interpolatore additum putes *ὑπασπιστὰς* posterius post *ἄλλους* aut addere mavis *τοὺς δὲ ἄλλους ὑπασπιστὰς ⟨καὶ τοὺς ἀκοντιστὰς⟩ ἄλλαι τρ. ἔφ.*, non accurate hoc loco rem narratam esse ab Arriano, qui pro hypaspistis ceterisque peditibus hypaspistas solos attulerit. ac si arbitramur praeter hypaspistas Cliti Coenique legiones usas esse trigintaremibus, iam nunc omnen rem tenemus intellegentes. neque obstant quae sequuntur. nam lege V, 13,4 *τῶν δὲ πεζῶν πρώτους μὲν τοὺς ὑπασπιστὰς τοὺς βασιλικοὺς ὧν ἡγεῖτο Σέλευκος ἐπέταξε τῇ ἵππῳ· ἐπὶ δὲ τούτοις τὸ ἄγημα τὸ βασιλικόν· ἐχομένους δὲ τούτων τοὺς ἄλλους ὑπασπιστὰς . . . κατὰ δὲ τὰ ἄκρα τῆς φάλαγγος οἱ τοξόται αὐτῷ καὶ οἱ Ἀγριᾶνες καὶ οἱ ἀκοντισαὶ ἑκατέρωθεν ἐπέστησαν.* regios hypaspistas recte putaverunt esse eosdem qui *παῖδες βασιλικοὶ* vel *σωματοφύλακες* nominantur aliis in locis. iam sequitur legio hypaspistarum regia, deinde *τοὺς ἄλλους ὑπασπιστὰς* collocavit, qui hoc quidem loco nisi reliqui hypaspistae non sunt, cum nunc caussa nulla sit, qua commoti etiam hic errasse putemus Arrianum, qui his verbis Cliti Coenique milites significaverit (quod voluit Schmieder in adnotatione ad hunc locum). sequuntur porro sagittarii, Agriani, denique *οἱ ἀκοντισταὶ* sed unde subito acontistae, quos antea Arrianus nusquam prodiderat Alexandrum secum adduxisse? fortasse males ita scribere: *καὶ οἱ Ἀγριᾶνες οἱ ἀκοντισταί*, deleto *καὶ* et conferes Arriani I, 14,1 *καὶ τοὺς τοξότας καὶ τοὺς Ἀγριᾶνας τοὺς ἀκοντιστάς.* concesso recte ibi legi *Ἀκρ. τ. ἀκ.* — nam potest sane legi — tibi opponam Arr. III, 12,3 *τῶν τε Ἀγριάνων καὶ τῶν τοξοτῶν οἱ ἡμίσεες καὶ οἱ Βαλάκρου ἀκοντισταί*, III, 13,5 *οἵ τε Ἀγριᾶνες καὶ οἱ σὺν Βαλάκρῳ ἀκοντισταί*, cf. IV, 4,6 *τούς τε τοξότας καὶ τοὺς Ἀγριᾶνας καὶ τοὺς ἄλλους*

viginti stadiis post equites passim sequi iussis ipse celerius cum equitibus processit ut regionem pugnae idoneam specularetur aut Porum parum paratum aggrederetur. sperabat etiam se Pori equites proelio equestri posse superare eoque totam pugnam decertare, aut

---

ψιλοὺς ὧν Βάλακρος ἦρχεν (unde etiam apparet recte Kruegerum IV, 25,6 correxisse *καὶ τοὺς Ἀγριᾶνας τοὺς ψιλοὺς* pro *τοὺς χιλίους* cf. IV, 30,6). quare nisi necessitate quadam cogemur *καὶ* illud loco nostro non eiciemus. sed quinam sunt illi *ἀκοντισταί*? ut breviter dicam: hoc nomine loco nostro appellantur Cliti Coenique milites. posterioris pedites leviter armatos fuisse apparet cum ex Arr. IV, 28,8 *τοὺς τοξότας ἀναλαβὼν καὶ τοὺς Ἀγριᾶνας καὶ τὴν Κοίνου τάξιν καὶ ἀπὸ τῆς ἄλλης φάλαγγος ἐπιλέξας τοὺς κουφοτάτους τε καὶ ἅμα εὐοπλοτάτους κτέ*, tum ex aliis locis ubi cum leviter armatis sagittariis Agrianisque componuntur. cf. I, 6,9, IV, 24,1, IV, 25,6. idem autem nostro iure de Cliti dicemus militibus. atque hoc afferam, Arriani verbis IV, 22,7 commoveri me ut putem Clitis legionem antea fuisse Perdiccae. primum ibi Cliti nominatur legio Hephaestionis Perdiccaeque copiis adiuncta. non commemoratur Perdiccae *τάξις* (ut antea), neque inde ab illo tempore usquam; sed hipparchiae iam tum Perdiccas videtur praefectus esse, cuius postea mentio fit (V, 12,2; 22,6; VI, 1,4). cum tamen verisimile sit Perdiccae adiunctam esse eam legionem cuius ipse antea dux fuerit, mihi quidem plane persuasi, Cliti legioni antea Perdiccam ipsum fuisse praefectum. quam meam sententiam nonnullis Arriani locis fulciri posse puto. I, 6,9 una cum Agrianis sagittariis C o e n i legione milites quoque P e r d i c c a e collocantur. cum Coeni agmine etiam I, 14,2; II, 8,3 (cf. III, 11,9) Perdiccae legio coniungitur, cum hypaspistis equitatu, Amyntae Meleagrique agminibus, sagittariis Agrianisque I, 20,5. maximum vero ad locum nostrum (V, 13,4) facit locus supra citatus I, 6,9. ac ne quis miretur quod hi *ἀκοντισταὶ* aliis in locis phalangis legiones nominantur· III, 12, 3 cl. 13,5 *οἱ Βαλάκρου ἀκοντισταὶ* commemorantur, similiter IV, 4,6 *οἱ ψιλοὶ ὧν Β. ἦρχεν*. Balacri autem legionis mentio fit IV, 24,10 *τήν τε Ἀττάλου καὶ Βαλάκρου τάξιν*; quodsi verba V, 13,4 servata interpretamur, ut *οἱ ἀκοντισταὶ* sane minus diligenter ab Arriani nominati Cliti Coenique sint legiones, omnis tollitur difficultas neque necesse est arbitremur relictos esse ab Alexandro in citeriore ripa milites illos Cliti et Coeni. neque quidquam de relictis illis aut Hephaestione tradidit Arrianus. quod porro rettulit *τὸν πεζὸν στρατὸν βάδην ἕπεσθαι ἐκέλευσεν οὐ πολὺ ἀποδέοντας τῶν ἑξακισχιλίων*: vocabula extrema depravata sunt. quinque certe millia hypaspistarum erant, iam sagittarios Agrianos acontistas nondum mille fuisse milites mihi quidem vix credibile est. neque enim *τὸν πεζὸν στρατόν* Arriani in solos hypaspistas referemus (quod fecit Droysen II, 132; quae attulit Lezius p. 35/6 et adn. nullius momenti sunt) sed in omnes pedites et hyspaspistas et leviter armatos. ac ne de electis quidem sex millibus ex hypaspistis et leviter armatis potest cogitari cum de relicta parte hyspaspistarum aliorumve vel in castris magnis vel in ipsa ripa sinistra Hydaspis nihil tradat Arrianus. iam quis etiam homo sanus potest credere Alexandrum ausum esse cum exercitu tam exiguo Indos adoriri? omnium hostium quos adhuc aggressus erat fortissimos esse et audiverat et cognoverat. ducentos praeterea elephantos ei opposuerant, contra quos adhuc nondum pugnaverat, quosque ut aliis ex locis licet concludere, satis metuit. Köchly-Rüstow l. l. p. 258 § 20 Alexandrum cum septuaginta, fere millibus peditum et decem millibus equitum ad Hyphasim fluvium venisse statuerunt. p. 298 adn. ad Hydaspem fere undeseptuaginta millia peditum et decem millia equitum constitisse putarunt. quos in universum recte numerasse concedi potest; non tamen in singulis. atque si unam legionem illo tempore sex millium militum fuisse arbitramur, apud Craterum peditum relicti erant praeter quinque millia Indorum duodecim millia phalangitarum; cum Meleagro Attalo Gorgia tres legiones, pedites fere duodeviginti millia. iam (praeter equites) mercenarii pedites, ut vidimus, Philotae et Balacri legiones: peditum fere duodecim millia. summa omnium: pedites triginta millia; coniuncti cum Crateri copiis Indisque sociis quadraginta septem millia peditum. iam relictos

si totum exercitum instructum adduceret Porus se cum equitibus solis eum posse detinere dum ipsius pedites accessissent; sin transitu inopinato perterriti Indi fugerent, parvo temporis spatio se posse con-

---

esse Coeni Clitique legiones supra negavi. erant igitur cum Alexandro duodecim millia; porro sex fere millia hypaspistarum, deinde quattuor fere millia sagittariorum (cf. Köchly-Rüstow p. 298 adn.) et quattuor millia Agrianorum (cf. eosdem l. l.) summa viginti sex fere millia. adnumeratis quadraginta septem millibus Crateri reliquorumque, totus Alexandri exercitus pedestris numerabatur tum septuaginta fere tria millia. legendum autem videtur apud Arrianum pro *ἑξακισχιλίων*: ⟨*δυσμυρίων*⟩ *ἑξακισχιλίων*. sed quid de equitibus iudicandum est? quinque millia Arrianus tradidit cum Alexandro Hydasqem fluvium superasse; unde si demimus mille Daos equites, quattuor restant millia. quorum hipparchiae haec: amicorum agema, Hephaestionis, Perdiccae, Demetrii hipparchiae, Bactri Sogdiani Scythae. nam hos tres fuisse hipparchias docebo. Arrianus IV, 22,7 cum Hephaestione et Perdicca narrat amicorum equitum partem dimidiam, equitasse. iam ipse Alexander IV, 24,1 coll. 23,1 *τῶν ἱππέων τὸ ἄγημα καὶ τῶν ἄλλων ἑταίρων εἰς τέσσαρας μάλιστα ἱππαρχίας* secum ire iussit. decem igitur *ἑταίρων* hipparchiae exstiterunt si adnumeres *τὸ ἄγημα* ut oportet. nunc redi ad Arriani V, 11,3. ibi Craterus cum propria hipparchia relictus erat et Arachosis et Paropanisadis. Alexander secum abduxit amicorum agema, Hephaestionis Perdiccae Demetrii hipparchias, Bactrios Sogdianos Scythas. habes igitur decem illas *ἑταίρων* hipparchias. nam *μισθοφόροι ἱππεῖς* cum Meleagro Gorgia Attalo relicti omittendi sunt (cf. IV, 22,7). item praetermittendi hippotoxotae Dai (cf. IV, 23,1; 24,1) ac ne mireris barbaros inter amicos equites numerari conferas Arriani verba VII, 6,3 *οἱ Βακτρίων δὲ καὶ οἱ Σογδιανῶν καὶ Ἀραχατῶν ἱππεῖς καὶ Ζαραγγῶν δὲ καὶ Ἀρείων καὶ Παρθυαίων καὶ ἐκ Περσῶν οἱ Εὐάκαι καλούμενοι ἱππεῖς καταλοχισθέντες εἰς τὴν ἵππον τὴν ἑταιρικήν, ὅσοι αὐτῶν* . . . *ὑπερφέροντες ἐφαίνοντο κτἑ.* (ceterum ne hoc omittam: *ἱππαρχία* illic aliter intelligenda est ac nostris his locis). sed redeamus unde digressi sumus. septem hipparchiae cum Alexandro Hydaspem transierant: omnes quattuor fere millia. in una igitur DLXX aut potius DC fere equites continebantur. iam tres relictae sunt cum Cratero: omnes fere MDCC vel MDCCC. additis Alexandri fere quinque millibus: sex millia septingenti vel fere septem millia, quibus adnumerandi sunt duo fere milia mercenariorum equitum (cf. Köchly-Rüstow p. 298) (tres hipparchiae?) summa omnium equitum novem fere millia. hipparchia ergo, quantum ad numerum attinet, decima pars legionis fuerit.

quindecim millia equitum Alexandrum vere anni 327 a. Chr. n. secutos esse Köchly-Rüstow p. 254, § 19 coniecere. ex quibus tria millia quingenti in Bactrianis relicti sunt. restant undecim millia quingenti. ex quibus etiamsi hic illic una cum peditibus relictos esse aliquos putamus, tamen non duo millia quingenti dimissi sunt. accedit quod Alexander equites quoque (pro hic illic relictis ut videtur) sibi elegit ex populis subactis, exempli gratia ex Nysaeis trecentos (hipparchiae fortasse partem dimidiam). quare equitem existimaverim non quindecim millia sed tredecim fere millia equitum Alexandrum vere anni 327 comitatos esse; unde si mille Daos, duo millia mercenariorum equitum, quingentos fere in singulis urbibus ant aedificatis ant munitis relictos si demimus, sex millia restant in decem hipparchias distribuenda. in una igitur hipparchia DC fere equites erant.

iam cum triginta fere millibus (accurate cum XXXI mill.) militum Alexander in Indos impetum facere poterat conari. neque ignavos fuisse Indos demonstrat quod omnes duces interfecti sunt, duo filii Pori et Spitaces. quattuor millia equitum Porus secum adduxerat, tria millia caesa sunt, neque haec in fuga. cognoscemus autem ex hac quoque re validiorem fuisse Alexandri equitatum Indis.

redeamus ad Hephaestionem. Clitus Coenusque nisi cum militibus remanserunt in ripa Hydaspis fluvii dextra, ne Hephaestion quidem praefectus illis relictus esse potest. Curtius autem, ut iam supra dixi, VIII, 14,15 tradidit Hephaestionem affuisse cum Ptolemaeo aliis in pugna atque Alexandro ipso duce

sequi.[142]) quare cum equitibus sagittarios tantum Tauronis coniunxit. interea[143]) speculatores Indi ad Pori filium et Spitacem, fratris filium venerant, qui cum curribus centum viginti et duobus millibus equitum[144]) ut videtur a Poro collocati erant non nimis longe ab eo loco ubi Alexander fluvium superaverat. celeriter currus adduxit Pori filius sexaginta, a ripa Macedones illos paucos se posse prohibere ratus; cum tamen maiores copias videret traicere neque se Macedones morantes adhuc in insula altera posse a ripa arcere, praetervectus Alexandrum currus vertit maiores copias adducturus. ac primum quidem Spitacem[145]) loco ripae paullo inferiore ut dixi positum arcessivit, qui suas copias et mille equites adducens Pori filio in Macedones impetum facere statuit. cum essedis igitur CXX illi et equitum duobus millibus[146]) quanta potuerunt celeritate Alexandro obviam ierunt. quem superato iam fluvio cum equitibus solis et Tauronis hippotoxotis pedites viginti fere stadiis praecedentem inter Dhapâ et Wara nostratium vicos conveniunt, nescientes etiam tum, Alexandrum ipsum esse. atque equitatum Alexander propter viam angustam, nam montes prope fluvium decurrebant[147]), in turmas divisum duxit. iamque ap-

---

in hostes cum equitibus impetum fecisse; cur Curtio fidem denegemus hac quidem in re? Arrianus narravit Alexandri exercitum duas in partes divisum traiecisse, equites solos cum peditum parte parva, iam Alexandrum cum hypaspistis ceterisque peditibus. ac nisi fallor Hephaestion priori parti praefectus transmisit flumen, agmen posterius ipse rex duxit. denique ne oportebat quidem quemquam relinqui ad Abhisarem prohibendum. nam concesso Diodorum vel auctorem eius vera prodidisse de Abhisare 75 kilometra tantum absente, verisimile est Alexandrum audito statim proxima nocte transisse. Abhisares autem ante tres dies adesse non poterat, quae tum erant viae imbribus obrutae.

142) v. Arr. V, 14,2. non repugnat V, 16,1: Alexander cum videret Indorum totam aciem *ἐπέστησε τοὺς ἱππέας, ὡς ἀναλαμβάνειν τῶν πεζῶν τοὺς ἀεὶ προσάγοντας κτἑ.*

143) de sequentibus iam diversissima ab auctoribus traduntur, ut vix omnes narrationes liceat conectere; tamen in illis quae in narratione dedi quantum potui verum sequi studens ex diversis auctoribus excerpsi non repugnantia. quae non omnia pro certis sane, sed pro probabilibus quidem vendo.

144) vide Aristobulum apud Arr. V, 14,3 et auctorem epistulae Alexandri apud Plut. vit. Al. c. 60 et quae de epistula illa Kaerst adnotavit in Gesch. des hell. Zeitalters I p. 364,1. miror Lassen II p. 147 adn. 2 scribere: 'Plutarchos führt Alexanders eigene Briefe als seine Quelle an; es verdient daher seine Angabe den Vorzug'. utinam haberemus eas epistulas ab ipso Alexandro scriptas!

145) nisi mavis Hagem, nam Curtius nominat Hagem, fratrem Pori; sed cum Arrianus Spitacem *νομάρχην τῶν ταύτῃ Ἰνδῶν* cecidisse narret — Polyaenus novit Pittacum, *ἀδελφιδοῦν τοῦ Πώρου* — et Pori filios duos, quorum alter Ptolemaeo teste (Arr. V, 15,2) ante maiorem pugnam Alexandro occurrens necatus erat, suspicor cum illo cecidisse etiam alterum ibi ducem, eumque non Hagem sed Spitacem appellandum esse. correctura facillima apud Curtium: praemi SIT,⟨SP⟩ITACES. verisimile autem est, Pori filium et Spitacem in sinistra ripa contra Meleagrum Attalum Gorgiam a Poro collocatos fuisse, non audito demum Alexandri transitu praemissos.

146) sequor Ptolemaeum. dimidiam partem ex 'Alexandri epistula' Plutarchus l. l. affert. (alii alios tradunt numeros v. Arr. V, 14,3 sq. Curt. VIII, 14,2) aeque multos equites currusque et Pori filius et Spitaces secum habuisse videtur.

147) paullo supra Darâpur Alexander fluvium transgressus est, ubi in sinistra ripa montes satis prope accedunt ad fluvium ut spatium inter illos et

propinquantes hostes vidit, cum Porum ipsum accedere ratus Alexander Tauronem contra eos emisit, ut detineret dum ipse rex equitum aciem instruxisset peditesque Macedonum adessent. numero autem hostium parvo ex speculatoribus comperto statim turmatim in eos invectus est. qui adeo non restiterunt, ut conspecto Alexandro ipso eiusque exercitu satis magno ilico fugerent; sed in fuga a rege petiti acriter pugnaverunt.[148]) Alexander sinistrum cornu hostium aggressus est, Perdiccam cum equitibus in dextrum immisit. cum undique proelium equestre movebatur, essedarii quoque ut suis laborantibus auxilio essent, in pedites, qui interea accesserant, impetum fecerunt. sed essedorum usus illo die propter limum minor erat.[149]) postremo esseda omnia cum equis[150]) capta equitesque quadringenti fere caesi sunt.[151]) reliqui effugerunt. Pori filius contra ipsum Alexandrum fortiter pugnans[152]) interficitur ac ne Spitaci quidem ut videtur ex hac clade licuit evadere.

Iam Porus cum primum ei nuntiabatur, Alexandrum conari transmittere flumen, Abhisarem advenisse ratus est. quam opinionem Poro confirmavit quod in castris magnis Craterum conspexit omnia ad transitum faciendum aperte parantem, ut cogitaret illo ipso loco Alexandrum velle Hydaspem superare. cum tamen fugientes Spitacis equites Alexandrum, non Abhisarem, satis validam copiarum partem adducere nuntiarent seque debellatos filiumque Pori Spitacemque interfectos esse, aliquamdiu sane etiam tum incertus tandem in ipsum progredi statuit Alexandrum, ab hoc maius sibi impendere periculum

---

ipsum fluvium satis angustum sit (vide Cunningh. chartam VII). illo ipso loco pugnam minorem factam esse puto.

148) Ptolemaeus eos statim fugisse narrat (Arr. V, 15,2) Aristobulus eos fugatos esse *οὐ χαλεπῶς πληγὰς λαμβάνοντας* (Arr. V, 14,3). alii vel *μάχην* appellant illum concursum (V, 14,4), tamen minus accurate *ἐν τῇ ἐκβάσει* factum esse tradunt, quod aperte negat Ptolemaeus idque recte.

149) Curtius solus de hoc proelio copiosius narrat VIII, 14,4 sq.

150) Curtius VIII, 14,3 senos viros singulis essedis vectos esse testatur, duos clipeatos, duos sagittarios ab utroque latere dispositos, aurigas ceteros neque hos inermes. cum essent CXX currus, fuerunt DCCXX milites. hos omnes in fuga evasisse veri dissimile est. quorum qui caesi sunt, inter CCCC illos numerati esse videntur ceterum essedis iam antiquissimos Indos (Arios) usos esse satis notum est. vide Lefmann: Gesch. des alten Indiens p. 143 sq.

151) vide Arr. V, 15,2.

152) addunt nonnulli scriptores Alexandrum vulneratum esse ab illo, cf. Arr. V, 14,4. errant et hac quidem in re et Bucephalam equum a Pori filio ictum interisse referentes. neque Ptolemaeus neque Aristobulus verbum faciunt ullum de laeso tum Alexandro aut equo Bucephala. hunc certe Arrianus, Aristobulo usus auctore, ut videtur, narrat V, 19,4 non ex vulnere interisse sed laboribus ac senectute defessum. atrociter hostes pugnavisse ex eo cognoscitur quod et Pori filius et Spitaces (ut videtur) ibi et quadringenti equites caeduntur, esseda omnium capiuntur. essedarios quoque Macedonibus restitisse atque peditibus quidem verisimile est. etiam equus Alexandri (Bucephala tum non iam vehebatur, qui in dextera iam ripa fluvii defecisse verisimile sit, vide quae infra adnotaverim de Bucephalis urbe) vulneribus confossus concidisse potest, v. Justin. XII, 8.

recte cognoscens. sed Macedones quoque timebat, qui in castris magnis transitum parabant. quos, si conarentur fluvium transmittere, ut repellerent a ripa milites non ita multos sane elephantosque nonnullos in castris reliquit ipse cum reliquo exercitu egressus est. atque equites in Alexandrum adduxit omnes, quattuor millia, et currus omnes, trecentos, et elephantos ducentos, peditum denique, quot usui esse possent, triginta millia.[153]) cumque paullo infra Mong urbem in regionem venisset non lutosam sed planam solidamque propter arenam et equorum impetui conversionique aptam, exercitum instruxit. atque aciei procul visae species erat urbis munitae, ut armati pedites pro muris, pro turribus elephanti haberentur.[154]) ipse enim elephanto insidens et magnitudine et pulchritudine eximio reliquos amicis distribuit proximis elephantos. collocavit autem in fronte centum pedum[155]) spatio inter se singulos disiungens. secundo ordine post elephantos pedites positi erant, ita tamen ut singula eorum agmina ipsis spatiis inter elephantos postpositi essent. stabant porro etiam ultra elephantos pedites in cornu utroque. phalangi ab utraque parte equitum bina millia adiuncta; ante equites denique currus collocati. talem aciem Porus ne cogitabat quidem ab hostium quoquam quamvis audaci posse perrumpi, cum et milites repulsuri essent telis et elephanti proculcaturi si quis auderet irrumpere. inque primis equites Macedonum — nam pollere Alexandrum equitatu cognoverat — proelio inutiles Porus reddere voluit, cum metuant equi et elephantorum clamorem et odorem.

---

153) Arriani sunt numeri. Diodorus XVII, 87 Porum dixit secuta esse plus quinquaginta millia peditum, equitum tria, currus plus mille, elephantos centum et triginta. Plutarch. vit. Al. c. 62 *δισμυρίοις πεζοῖς καὶ δισχιλίοις ἱππεῦσι παραταξάμενον* refert Porum. Curtii numeri proxime accedunt ad Arrianum, nam VIII, 13,6 numerat triginta fere millia peditum, currus trecentos, elephantos LXXXV; equites illo loco non commemorantur, quamquam VIII, 14,2 quattuor millia equitum Porum agmini Alexandri venienti obiecisse non ignorat. differt igitur numero tantum elephantorum ab Arriano, quapropter credo hunc Curtii numerum a librariis corruptum esse et mutandum in 'CCXXXV'. ducentos eorum secum duxit, triginta quinque (*ὀλίγους τῶν ἐλεφάντων*, Arr.) contra Craterum reliquit. totus Pori exercitus secundum Arrianum et Curtium erat: paullo plus triginta millia peditum (quattuor vel quinque millia in castris reliquerat), quattuor millia equitum, quadringenti viginti currus, ducenti triginta quinque elephanti.

154) cf. Curt. VIII, 14,13. Diod. XVII, 87,5. Polyaen. Strat. IV, 3,22.

155) cf. Arr. V, 15,5. quinquaginta pedes numeravit Polyaen. IV, 3,22. pedites quos iam Arrianus narrat ultra elephantos in utroque cornu positos fuisse, fuerunt fortasse sagittarii, quos Curtius VIII, 14,10 praeter peditatum nominat; addit etiam 'tympana pulsare solitos. id pro cantu tubarum Indis erat' satis probabiliter. cf. Arr. Ind. VII, 9: *ὥστε καὶ εἰς Ἀλέξανδρον ἔτι ὑπὸ κυμβάλων τε καὶ τυμπάνων ἐς τὰς μάχας Ἰνδοὶ καθίσταντο.* deinde Curtius l. l. Herculis simulacrum agmini peditum praelatum esse narrat: Hercules ille idem mihi videtur atque is qui apud Indos Indra nominabatur, quem deum propter beneficia a Pûru gente praedicatum et sacrificiis cultum esse scimus. vide Lefmann l. l. p. 150 '. . . daß die Pûru Ruhm erlangten, mit Indras Beistand Siegesruhm in den Schlachten'.

Interea Alexander nemine iam prohibente in eam regionem, ubi hodie Mong urbs extat, progressus cum Indos videret ad pugnam instructos ipsumque exspectantes, equites inhibuit ut pedites cursu appropinquantes reciperet. iam coniunctos non statim duxit in hostes, ne itineris celeritate defatigati pedites occumberent integris fere adhuc Indis, sed recreavit pedites refecitque, dum ipse relicto equitatu praeterequitat cum paucis in circulos, ut hostium aciem accurate perspiceret. quo facto ipse quoque agmina in certum ordinem redegit. cumque intellegeret difficillimum Macedonibus in aciem Indorum mediam fore impetum, illud ipsum veritus, quod ut talem aciem formaret Porum commovit, aciem extremam aggredi statuit. solebat autem rex ipse cum dextro suo cornu adoriri. quod si tum quoque fecit, ipsum Porum ab amne repulsum iri poterat sperare, ut facilius Macedones qui in citeriore Hydaspis ripa cum Cratero et Meleagro relicti erant, traicerent fluvium, si fortasse ad Indos depugnandos opus essent. quare in Indorum cornu sinistrum primum impetum studuit facere cum omnibus equitibus, quorum aciem ita instruxit. in fronte agema amicorum cum Ptolemaeo L. f. et Hephaestionis Perdiccaeque equites collocati erant, ante eos mille Dai hippotoxotae.[156]) hanc maiorem partem equitum[157]) ipse rex in hostes voluit ducere. iam a parte eorum dextra ordinibus in transvorsum[158]) quasi ductis inque Indorum aciem sinistram conversis, ut cum acie equestri Alexandri angulum formarent concavum Coenus[159]) stabat cum ipsius hipparchia, equitibus ut videtur aut Bactris aut Sogdianis aut Scythis[160]); quibus adiuncti erant Demetrii equites. iussus autem erat Coenus Indorum Alexandro aggredienti obequitantium terga premere. in sinistro Macedonum cornu hypaspistae positi erant, Seleuco[161]) duce, cincti dextra parte a Coeni Clitique acontistis quibus Antigenes imperabat, — ipsum Coenum equitibus praefectum fuisse modo cognovimus, — sinistra a sagittariis Agrianisque quos Tauron duxit. atque hos quidem non prius Indos adoriri iussit quam hostium aciem sinistram fractam

156) vide Curt. VIII, 14,15 coll. Arr. V, 16,2 et 4; Polyaen. IV, 22,1.

157) cf. Arr. V, 16,2 *τὴν πολλὴν τῆς ἵππου ἀναλαβών*. errat Polyaenus l. l., *τὸ ἥμισυ* dicens. 158) recte Polyaenus l. l. *τὸ δὲ λοιπὸν ἐν ἐπικαμπίῳ*.

159) cf. etiam Köchly-Rüstow l. l. p. 302 adn. ceterum Curtium male intellexerunt adhuc Droysen II p. 138 adn. 1, alii; illius verba ‘dextrum move’ non ‘in dextrum hostium cornu move’ significare, poterant iam verba sequentia prodere: ‘et turbatis signum infer’, ab Alexandro scilicet turbatis qui in laevo cornu hostium positi erant; recte iam pergit Curtius: ‘Coenus ingenti vi in laevum (scil. cornu) invehitur. congruit cum his Arrianus plane V, 16,3: *Κοῖνον δὲ πέμπει ὡς ἐπὶ τὸ δεξιόν κτἑ*. Plut. v. Alex. c. 60 ipse (vel auctor epistulae) videtur errasse, si quidem eum re vera scripsisse putabimus quod homines docti coniecerunt: *Κοῖνον δὲ τῷ δεξιῷ προσβαλεῖν κελεῦσαι* (pro *κοινῇ δὲ* codicum). quod eo facilius potuit fieri, cum Pori equites initio pugnae in duobus locis constituti essent. atque Plutarchus rursus errans l. l. hostes *γενομένης δὲ τῆς τροπῆς ἑκατέρωθεν ἀναχωρεῖν ἀεὶ πρὸς τὰ θηρία* rettulit, cum apud Arrianum de solo sinistro Indorum cornu narretur. 160) cf. Arr. V, 12,2.

161) cf. de his Arr. V, 16,3 et quae ipse supra scripsi.

perturbatamque cernerent impetu ab ipso Alexandro in Indorum equites facto.

Fiunt quae rex imperaverat. cum intra teli iactum exercitus accessisset, quasi pugnam iam initurus hippotoxotas mille in equites[162]) currusque sinistros Indorum immisit, qui multitudine telorum et equorum irruptione hostes turbarent; ipse suos equites in Indorum equites celeriter duxit, ut perturbatos adhuc circumagenda contra ipsum acie, a latere aggredientem, conveniret, priusquam in phalangem constitissent. Porus autem simulatque Alexandrum omnem fere equitatum in dextra exercitus parte continere vidit, suos quoque equites in dextro ipsius cornu stantes illinc, ubi tum quidem inutiles erant neque necessarii, in sinistrum vehi iusserat seque cum ceteris coniungere[163]) atque conexi iam omnes Alexandro adequitanti occurrentes phalangem facere studebant. neque Alexander eos convenerat, cum Coenus mandatum eius exsequens cum suis hostes a tergo petere conatur. quo viso Indi equites, ut utriusque impetum a fronte exciperent, in duas iam acies discesserunt, quod statim et ordines Indorum et animos conturbavit; quo cognito Alexander, dum in Coenum hostium pars se vertit, pars in ipsum, in hos infertur et numero plures et virtute praestantiores. qui ne excipientes quidem hunc impetum ad elephantos tamquam murum amicum confugiunt. ac dum Coenus cum altera parte pugnat, Alexander fugientes secutus in elephantos incidit, quos appropinquanti Porus iusserat obduci. sed iam Macedonum phalanx accessit et elephantorum rectores telis petens ipsasque beluas undique feriens.[164]) singulare autem proelium illud erat hominum cum beluis. nam etiam elephanti tamquam milites pugnabant. irrumpentes in Macedonum pedestres ordines aciem frangebant quamvis densam firmamve quacumque se vertebant. quo etiam

---

162) debui dicere: in currus equitesque. Arrianus de curribus in pugna adhibitis tacet. Diodorus narrat XVII, 88,1: *γενομένης δὲ μάχης τὸ μὲν πρῶτον τοῖς ἱππεῦσιν ἅπαντα σχεδὸν τὰ ἅρματα τῶν Ἰνδῶν διεφθάρη*, nisi potius ad pugnam illam priorem cum Pori filio et Spitace referenda sunt; tum sane erraverit Diodorus vel auctor.

163) aliter iudicavit Droysen II p. 139 adn. 1 cf. Hertzberg II p. 261. sed Arriani verba V, 17,1 *οἵ τε Ἰνδοὶ τοὺς ἱππέας παντόθεν ξυναλίσαντες* collata cum 17,3 sq. meam confirmant sententiam; nam si duo millia equitum Indorum in parte dextra relicta erant, equites sinistri cornus, non iam duo millia, quia pars adhuc contra Coenum pugnabat, ausi non essent ipsum Alexandrum multo validiorem copiis ultra aggredi, neque Arrianus atque adeo eius auctor Ptolemaeus robore et rei militaris peritia longe superiores fuisse Alexandri milites Indis ob eamque causam vicisse debuit proferre.

164) Curtius cum narrat VIII, 14,16 (hastae nostrae praelongae et validae non alias magis quam adversus beluas rectoresque eorum usui esse poterunt: *deturbate eos qui vehuntur et ipsas confodite* etc.) Alexandrum ante pugnam docuisse duces de ratione cum elephantis pugnandi, rhetorice rem ornat. congruunt sane verba Curtii fere cum iis quae de peditum Alexandri impetu Arrianus scripsit.

equites Indi alacriores facti ipsi impetum in Alexandrum fecerunt. rursus tamen ab Alexandri equitibus et robore et rei militaris peritia longe prioribus victi ad elephantos confugerunt. quos persequenti Alexandro iam Coenus accedit, atque equites Macedones ipso certaminis progressu iam coniuncti magnam quoscumque aggressi sunt Indorum et equitum et peditum[165]) fecerunt caedem. interea elephanti a Macedonum phalange magis magisque in artum coacti non minus iam Indis quam Macedonibus nocuerunt. nam vulnerati partim, rectoribus alii carentes, certum ordinem non servantes sed fera quodammodo rabie affecti omnes ad quos se vertebant, amicos et hostes, proculcabant aut proboscibus sublatos rectoribus tradebant. damno tamen maiore quam Macedones, qui in aperto loco ubique volebant in elephantos invadebant, appropinquantibus cedebant, conversis ferientes inhaerebant, Indi elephantis proximi, in artum spatium conclusi affecti sunt. ac tum omnibus locis pugnabatur.

Iam Porus omnia ausus ipse elephanto maximo vectus quadraginta nondum territas integrasque beluas coegit inque medios hostes duxit.[166]) atque magnam certe fecisset Macedonum stragem nisi cautus Alexander accurrentibus beluis cedere milites iussisset et procul petere hastis telisque.[167]) nonnulli etiam a tergo adrepentes elephantorum studebant pedes amputare securibus quin etiam proboscidas beluarum gladiis persicis leviter curvatis appetere.[168]) itaque vulnerati aut destituti rectoribus, qui telis icti ab elephantorum tergis delapsi erant, hi quoque elephanti corporibus in hostes conversis recessere pedetentim cum Alexander momenti intellecta opportunitate hostium ordines turbatos a sinistra parte equites, a dextra peditum scuta conserentium aciem artissimam adoriri iussit. atque in pugna iam facta et equites Indi undique circumventi maximam partem caesi sunt et pedites exceptis qui se tradebant aut ubi Alexandri equites spatium dabant fugiebant. et hos Craterus ceterique duces[169]), qui in citeriore Hydaspis ripa relicti amnem traiecerunt simulatque Alexandrum plane victorem cognoverunt, pro defatigatis Alexandri mili-

---

165) Alexandri acies haec facta: Alexander et Coenus, quorum a tergis ex transverso flumen erat, a sinistra parte cum equitibus hostes, et equites et pedites tenent, quos pedites Macedones adoriuntur a fronte. iam tum pedites Indos coepisse pugnare verisimile est. ceterum quod Curtius narrat l. l. 18, uno Macedonum impetu Indorum mediam aciem perruptam esse, errat.

166) hoc Diodorum secutus (XVII, 87,4) attuli, neque enim finxisse videtur Diodorus vel auctor. vide etiam Curt. VIII, 14,22.

167) Curtius fortasse recte tradit ab Alexandro tum Agrianos et Thraces, leviter armatos, meliores concursatione, quam comminus milites in elephantos immissos esse; vide etiam Diodorum XVII, 88: *ὁ Ἀλέξανδρος μεταπεμψάμενος τοὺς τοξότας καὶ τὰ ψιλικὰ τῶν ταγμάτων*.

168) vide Curtium l. l. 28, 29.

169) falso Lassen II p. 120 etiam Ptolemaeum nominat. cf. quae de hac re iam supra scripsi.

tibus persecuti sunt integri. octava fere hora diei[170]) temporis Romani pugna maior cum Poro, quae non coepta fuerit ante horam quartam, Indorum fuga finiebatur.

Porus quamdiu suorum partem vidit pugnantem, tam diu ipse quoque hostes aggressus repellere studuit et ducis boni et militis fortis fungens officio. et quamquam equitum suorum caedem et elephantos videbat partim in campo pugnae caesos partim sine rectoribus errantes, pedites denique maximam partem interfectos, non ut Dareus primus suis fugae signum dedit. sed vulnere satis gravi in humerum dextrum accepto — a reliquo enim corpore facile defendebat tela lorica, robore et opere aeque insignis, humerum dextrum non contegens — tum demum elephantum, ipsum quoque hastis telisque vulneratum, in fugam vertit. atque secutus Alexander Porum, quem fortem et magnanimum esse cognoverat, servare studens cum ipse adequitare non auderet[171]) Taxilem misit moniturum, ne ultimum Porus experiretur dederetque se Macedoni. quem veterem hostem, quousque tutum videbatur ad elephantum Pori adequitantem et ut beluam sisteret Alexandrique condiciones acciperet postulantem cum conspiceret Porus celeriter se convertit, tamquam hasta petiturus, necassetque fortasse ictu, nisi prius ille e Pori propinquitate se amovisset.[172]) rex ne hac quidem de re irascebatur Poro, sed alios misit subinde et denique Meroem Indum hominem, quem veterem Pori amicum esse audiverat. et huius demum orationem accepit Porus, cumque siti premeretur elephantum substitit descenditque. cum autem sitim explesset et refecisset se ad Alexandrum statim voluit adduci. quem postquam appropinquantem[173]) Macedo animadvertit paullulum ante aciem equitum provehens comitibus nonnullis amicis Poro ob-

---

170) vide Plut. v. Alex. c. 60; de tempore pugnae vide quae Droysen dixerit l. l. II p. 142 adn. 2 et ego attulerim supra.

171) Curt. VIII, 14,34 Alexandrum dum ipse in novum equum ascenderet vulneribus confosso (Bucephala? cf. Onesicriti fragm. 9) defatigatoque priore legatum ad Porum misisse narrat; sed Arrianus plures eum misisse testis est. non verisimile est Alexandrum semper equum mutasse. metuit ipse illum fortiter pugnantem metuitque elephantum.

172) ita Arrianus narrat V, 18,6 satis credibiliter. Curtius VIII, 14,34 sq. Taxilis fratrem ab Porum ab Alexandro praemissum esse refert. quem cum cognosset Porus — Curtio teste — quamvis ipse vix mentis compos exhaustisque viribus esset, telum, quod unum iam erat, in eum contorsit: quod per medium pectus ad tergum penetravit. Taxiles frater, de quo nullo alio loco verbum fit, si re vera a Poro interfectus est, quod posset sane factum esse, certe non tum, sed in pugna antecedente occisus est. aliter enim amicitia inter Porum et Taxilem postea esse vix poterat. Diodorus Taxilem vel fratrem missum esse ignorat.

173) utrum equo aut curru vehentem non indicat Arrianus, qui utitur verbis *ἄγειν* et *προσάγειν*. Curtium si audimus, qui sane rem mire auxit VIII, 14,40 sq., vehiculo advectus est. quod si verum esse sumimus, intellegemus quomodo ex illo rumore de advehente Poro omnes ceteri de gravissime illo vulnerato et semiamini paene orti esse possint.

viam iit. subsistensque equum magnitudinem Pori et pulchritudinem[174]) valde est miratus — corporis autem magnitudo erat ducentorum fere triginta centimetrorum —, et quod minime animo fractus sed ut vir strenuus ac fortis viro forti obiret, cum pro regno fortiter pugnasset.[175]) ac prior Alexander eum allocutus iussit dicere, quid sibi fieri vellet. cui Porus respondisse traditur: me regie abs te tractari, Alexander! quibus verbis rex gavisus: hoc tibi, inquit, fiet mea causa; sed tua causa quid tibi gratum sit roga. cui Porus: omnia in hoc uno insunt. atque his verbis Porus amicum sibi

---

174) Arrianus V, 19,1 *πέντε πήχεις μάλιστα*, Diodor. XVII, 88 *μῆκος πηχῶν πέντε* tradit. Curtius VIII, 14,13 nil nisi haec: 'ipse Porus humanae magnitudinis propemodum excesserat formam'. cum autem adiciat: 'magnitudini Pori aequa' — sic enim scribendum pro codicum 'adicere' — 'videbatur belua, qua vehebatur, tantum inter ceteras eminens, quanto aliis ipse praestabat', manifestum est simili et Curtium et Plutarchum auctore quasi fonte usos esse. Plutarch. autem vit. Al. c. 60 scribit: *οἱ δὲ πλεῖστοι τῶν συγγραφέων ὁμολογοῦσι, τὸν Πῶρον ὑπεραίροντα τεσσάρων πηχῶν σπιθαμῇ τὸ μῆκος, ἱππότην* (cod. falso *ἱππότου*) *μηδὲν ἀποδεῖν πρὸς τὸν ἐλέφαντα συμμετρίᾳ, διὰ τὸ μέγεθος καὶ τὸν ὄγκον τοῦ σώματος· καίτοι μέγιστος ἦν ὁ ἐλέφας.* quod corporis eius *ὄγκον* h. e. molem et robur attinet, Diodorus l. l. addit: *τὸ δ' εὖρος ὑπῆρχεν ὁ θώραξ αὐτοῦ διπλάσιον τῶν ἄλλων, τῶν εὐρωστέων. διόπερ τὰ βαλλόμενα σαυνία τοιαύτην εἶχε δύναμιν, ὥστε μὴ πολὺ λείπεσθαι τῶν καταπελτικῶν βελῶν.* ceterum diversitas numerorum Arriani, Diodori et Plutarchi (*πέντε πήχεις* et *τέτταρες πήχεις καὶ σπιθαμή*) ex diversitate cubitorum intellegi possunt. nam *πῆχυς* Atticus vel Olympicus erat CCCCLXII fere millimetrorum (vel duarum *σπιθαμῶν*), *πῆχυς* regius (Babylonius) ca. DXIX (*πῆχυς* Aegyptius, Samius, Persicus DXXV vel DXXXI millimetrorum). iam si quinque *πήχεις* Atticos numeramus, sunt 2310 millimetra, quattuor *πήχεις* regii et *σπιθαμή* autem sunt 2335 millimetra. differunt igitur modi 25 millimetris vel duobus fere centimetris.

175) Curtius VIII, 14,38 Porum telis undique petitum ictumque ex elephanto lapsum esse narravit; idem tradidit Diodorus XVII, 88,6: *περικλασθεὶς περὶ τὸ θηρίον πρὸς τὴν γῆν κατηνέχθη.* similiter Justin. (Trog. Pomp.) XII, 8: 'Porus multis vulneribus obrutus capitur' etiam reliqua similia apud Diodorum et Curtium; prior brevius narrat: *διαδοθείσης δὲ φήμης ὅτι τετελεύτηκεν ὁ βασιλεύς, τὸ λοιπὸν πλῆθος τῶν Ἰνδῶν πρὸς φυγήν ὥρμησεν*; Curtius accuratius: rectorem elephanti Porum descendere velle ratum more solito elephantum procumbere iussisse in genua. inde ceteras quoque beluas ut instituta fuissent, in terram corpora demisisse; quo et Porum et ceteros victoribus traditos esse. Alexandro Porum exanimem visum esse; concurrisse eius iussu undique qui detraherent loricam. sed beluam spoliantes appetivisse ipsumque Porum rursus dorso suo imposuisse. tum demum elephanto telis undique confosso Porum captum et in vehiculum impositum esse. addit Diodorus l. l. 89: *αὐτὸς δὲ ὁ Πῶρος ἔμπνους ὢν παρεδόθη τοῖς Ἰνδοῖς πρὸς τὴν θεραπείαν.* mira etiam Plutarchus l. l. c. 60 de elephanti prudentia narrat: *ὡς δ' ᾔσθετο βελῶν πλήθει καὶ τραυμάτων κάμνοντα Πῶρον, δείσας μὴ περιρρυῇ, τοῖς μὲν γόνασιν εἰς γῆν ὑφῆκε πρᾴως ἑαυτόν, τῇ δὲ προνομαίᾳ λαμβάνων ἀτρέμα τῶν δορατίων ἕκαστον ἐξῄρε τοῦ σώματος.* videntur ei qui in illa pugna aderant mira omnia, quae in aliis cernebant vel de aliis audiebant, in Porum contulisse. Arrianus vel auctor (V, 18,5) tales nuntios non videtur ignorasse, quibus oppugnat verbis: *ἀπὸ γὰρ τοῦ ἄλλου σώματος ἤρκει αὐτῷ τὰ βέλη ὁ θώραξ, περιττὸς ὢν κατά τε τὴν ἰσχὺν καὶ τὴν ἁρμονίαν, ὡς ὕστερον καταμαθεῖν θεωμένοις ἦν.* verba aperte sunt Ptolemaei. huic certe habemus fidem. denique rhetorice et ridicule Iustini auctor XII, 8 rem amplificavit narrans Porum, quod victum se esse valde doluisset, cum veniam ab hoste invenisset, neque cibum sumere voluisse neque vulnera curari passum esse, aegreque ab eo esse obtentum, ut vellet vivere.

Alexandrum reddiderat.[176]) a quo non modo in regnum restitutus est pristinum, sed alias regiones veteribus maiores postea accepit.[177])

In pugna atque in fuga Indorum peditum non multo minus viginti millia, equitum tria caesa sunt. currus omnes concisi, Pori duo filii interfecti et Indorum illis locis habitantium nomarcha Spitaces[178]), porro elephantorum currumque rectores, peditum equitumque duces omnes. capti permulti[179]), etiam elephanti, quot quidem in pugna caesi non erant. ex Alexandri peditibus[180]), qui primum elephantorum impetum sustinebant — erant sex millia hypaspistarum —, octoginta summum necati, ex Crateri igitur Meleagrique militibus et leviter armatis nullus aut certe non multi. sagittariorum equestrium, qui item primi pugnam initiati sunt, decem, amicorum equitum circiter viginti; reliquorum fere ducenti.[181]) vulnerati sane permulti.

---

176) Arrianus quod V, 19,2 scripsit: *Πῶρον δὲ ἀποκρίνασθαι λόγος* indicat neque ex Aristobulo neque ex Ptolemaeo haec desumpta esse. sed cum verba sint rege forti ac magnanimo dignissima, caussa non est, cur illis fidem denegemus. Plutarchus eadem fere attulit, sed non iam ex 'epistula Alexandri'. vide vit. Al. c. 60. nam et haec et quae antea de elephanto addit ex aliis scriptoribus sumpta esse elucet ex verbis eius: *ταῦτα* (quae antecedunt) *μὲν οὖν ὁ τῆς μάχης ποιητὴς αὐτὸς ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς εἴρηκεν· οἱ δὲ πλεῖστοι τῶν συγγραφέων ὁμολογοῦσι κτέ.* alium Alexandri et Pori sermonem primo congressu habitum commemorat Curtius VIII, 14,41. interrogat Alexander Porum, cur belli fortunam expertus sit cognita rerum ab Alexandro gestarum fama atque clementia in Taxilem. cui Porum libere respondisse: 'neminem me fortiorem esse censebam. fortiorem esse te belli docuit eventus; sed ne sic quidem parum felix sum, secundus tibi'. superba ac Poro non indigna oratio, quae re vera inter illos duos reges praestantissimos habita esse potest, neque tamen primo congressu. quae tum apud Curtium sequuntur vix fuerint Pori; sine dubio Arrianus et Plutarchus verius responsum *βασιλικῶς* servaverunt.

177) quibus praeterea caussis commotus Alexander Porum tam regie tractaverit luculenter exponit Droysen II p. 143 sq., ut vix quidquam debeam addere.

178) de quo conferas quaeso quae supra scripsi.

179) quot Indi capti sint ex Arriano non licet cognoscere, codicis illud quidem Arriani culpa V, 18,2 cf. editores. Diodor. XVII, 89,1 Indorum plus duodecim millia caesa esse tradidit. interfectos duos Pori filios (tacuit de Spitace), praetoresque et duces praecipuos. vivos captos esse supra novem millia, elephantos octoginta Macedonum equites ducentos octoginta, pedites plus septingentos cecidisse. cum tamen Indorum caesorum numerus atque peditum Macedonum aperte pugnet cum Arriano — cf. autem de caesis certamen illud etiam maius (quod ad numeros attinet) ad Gaugamela factum, ubi Macedonum centum fere cecidisse rettulit Arrianus III, 15,6, Curtius IV, 16,26 minus quam trecenti, Diodorus XVII, 61 *εἰς πεντακοσίους* — cum porro maiorem etiam antea militum Porum comitantium numerum prodiderit quam Arrianus, valde licet dubitare, num reliquis his Diodori numeris fidem habeamus. Hertzberg II p. 265 sane plures etiam Macedones in pugna illa cecidisse putat, quam Diodorus refert. certe saucii permulti erant. cf. Droysen II p. 141 adn. 1 et Lezium l. l. app. XVII p. 98 sq.

180) apud Arrianum legitur: *πεζοὶ μὲν ἀπὸ ἑξακισχιλίων τῶν ἐν τῇ πρώτῃ προσβολῇ γενομένων κτέ.* ac voluit *τοὺς ἐν τῇ πρώτῃ προσβολῇ γενομένους* — sine dubio hypaspistas cf. V, 17,3 — opponere et leviter armatis peditibus contra elephantos postea dimicantibus et Crateri Meleagrique militibus hostes fugientes persequentibus. ex quibus si multi cecidissent, Arrianus certe tradidisset numerum, accuratus quoque in numerandis equitibus caesis.

181) Curtius VIII, 14,34 sub ipso rege equum aliquem concidisse narrat.

equus Bucephalas prope urbem Darapur citra Hydaspem interierat, non ex vulneribus, sed laboribus fractus atque aetate; nam trigesimum iam annum agebat.[182]) cuius in memoriam equi urbem Alexander condidit eo loco unde profectus Hydaspem fluvium superaverat, ibi autem Darapur citra Indum sita est.[183]) alteram etiam urbem aedificandam curavit prope Mong nostratium, ubi Porum vicerat.[184]) priori ex

---

cuius auctor hunc equum certe Bucephalam voluit fuisse. cf. Iustin. XII, 8. tamen ex vulneribus eum interisse, quod Curtius indicare videtur — 'sed equus eius multis vulneribus confossus deficiensque procubuit' — (Strabo XV p. 698 *κατὰ τὴν μάχην* eum cecidisse rettulit, cf. Diod. XVII, 95,5; Plutarch. v. Al. c. 61: *ἐκ δὲ τῆς πρὸς Πῶρον μάχης καὶ ὁ Βουκεφάλας ἐτελεύτησεν, οὐκ εὐθύς, ἀλλ' ὕστερον, ὡς οἱ πλεῖστοι λέγουσιν, ἀπὸ τραυμάτων θεραπευόμενος*) vehementer negavit Arrianus V, 19, 4 (*ἔθανεν οὐ βληθεὶς πρὸς οὐδενός*) auctores secutus ut videtur Aristobulum et Ptolemaeum, negavit etiam Onesicritus (v. fragm. 9 ed. Muelleri Arr.) cf. Plut. v. Alex. c. 61. Aristobulo Ptolemaeo Onesicrito si in hac re fidem habemus non Bucephalas equus erat ille Curtii procumbens, sed alius aliquis; cumque paullo ante in dextera Hydaspis ripa etiam Bucephalas equus propter senectutem (*διὰ γῆρας* Onesicr.) viribus defecisset (cf. adn. 183), plurimorum scriptorum error inde de Bucephala vulnerato ortus videtur esse.

182) cf. Plut. Alex. c. 61.

183) Nicaeae et Bucephalae urbium situm si quaerimus, apud scriptores veteres haec extant: Arrianus V, 19,4 tradidit: *ἵνα δὲ ἡ μάχη ξυνέβη καὶ ἔνθεν ὁρμηθεὶς ἐπέρασε τὸν Ὑδάσπην ποταμὸν πόλεις ἔκτισεν Ἀλέξανδρος· καὶ τὴν μὲν Νίκαιαν τῆς νίκης τῆς κατ' Ἰνδῶν ἐπώνυμον ὠνόμασε· τὴν δὲ Βουκέφαλα ἐς τοῦ ἵππου τοῦ Βουκεφάλα τὴν μνήμην ὃς ἀπέθανεν αὐτοῦ, οὐ βληθεὶς πρὸς οὐδενός, ἀλλ' ὑπὸ καμάτου τε καὶ ἡλικίας.* Bucephala igitur urbs Arriano teste condita erat, ubi Bucephalas equus mortuus est, eo loco unde progressus traiecit Hydaspem; in dextera igitur ripa fluminis. quomodo verba *ἔνθεν ὁρμηθεὶς ἐπέρασε τὸν Ὑδ. π.* interpretanda sint Diodorus docet XVII, 89 *ἔκτισε δὲ δύο πόλεις, τὴν μὲν (Βουκέφ.) πέραν τοῦ ποταμοῦ, καθ' ὃν τόπον αὐτὸς διέβη* et Strabon. XV p. 698: *πρὸς ταῖς ἐκτισμέναις ὑπ' αὐτοῦ πόλεσιν ἐφ' ἑκάτερα τοῦ ποταμοῦ, ὅπου τὸν Πῶρον ἐνίκα διαβάς* (male interpretatus est Lassen II p. 155 adn. 5): eo igitur loco Bucephala urbem condidit Alexander ubi flumen transmiserat (non in ipsa ripa fluminis sed non procul ab illa, neque tamen illo loco quo Arriano teste Craterum reliquerat; illum locum si voluisset Arrianus significare, quod Cunninghamio I p. 177 potius videtur, certe scripsisset *ἔνθεν ὡρμήθη περάσων*). quibus non repugnant quae Curtius refert IX, 1,6: rex duabus urbibus conditis in utraque fluminis quod superaverat ripa etc. neque Plinius N. Hist. VI, 77: 'Asini trium urbium incolae. caput eorum Bucephala, Alexandri regis equo, cui fuerat hoc nomen, ibi sepulto conditum'. iam recte si contendimus prope Dilawâr urbem Hydaspem transmissum Porumque regem circa Mong urbem superatum esse ab Alexandro, prope Mong urbem Nicaeae et prope Dilawâr urbem Bucephalorum situs reperietur. et extant revera ruinae prope Dilawâr, vetus Darapur nominatae (vide Cunningham I p. 162 et chart. eius VII). quod nomen reliquiae esse possint vocis *Ἀλεξάνδρου πόλις* (cf. *Βουκεφάλα Ἀλεξάνδρεια* [Arr.] Per.). regio in qua inest illa urbs hodie quoque Bugiâl appellatur, quod nomen mea quidem sententia Cunningham I p. 177 recte ad Bucephala vetera referri posse putat. nummi ibi inventi sunt ex prima Indoscytharum aetate (Cunningham I p. 162), et prope Jalâlpur (p. 164) qui attingunt 'back to the times of Alexanders successors'. ac si Plinii temporibus urbes (Alexandream) Darapur et Girivraga (Girghâk) duas Asinorum illorum urbes fuisse putamus, tertia fortasse Asanot ipsa erat, munita fortasse a Macedonibus vel posteris, cum optimam viam tueretur Taxilis ad Hydaspem ducentem (vide Cunningh. chart. VII).

184) de Nicaea urbe prope Mong sita et nummis ibi inventis cum litteris NIK = NIKAIA vide Cunningh. I p. 178.

equo mortuo nomen indidit 'Bucephala'[185]), posteriori 'Nicaea' ex victoria. atque Craterum postea cum parte exercitus reliquit urbes illas exstructurum muniturumque, utque frumento aliisque ad bellum gerendum rebus necessariis ex Indorum regionibus coactis ad Acesinem sequeretur.[186]) ipse affectis debito honore qui in pugna ceciderant sacrificiisque solito more pro victoria factis[187]) et ludis gymnicis equestribusque ad eum Hydaspis locum quo primum cum exercitu transgressus erat in ripa sinistra institutis, refectis denique militibus proque meritis donatis[188]) post triginta dies mense Iunio paullo ante solstitium

---

185) de diversis urbis Bucephalorum nominibus ab antiquis servatis haec tradam: Bucephalia nominatur a Strabone XV p. 698 et Plut. vit. Alex. c. 61 et de fort. Alex. I, 5. *Βουκεφάλαν* novit Diodorus XVII, 95,6. (Arrian.) Peripl. p. 25 ed. Huds. et Schol. Aristoph. Nub. invocant urbem Bucephalam Alexandream *ἡ Βουκέφαλα Ἀλεξάνδρεια.* Steph. Byz. *Βουκεφάλειαν* appellat. in contextu secutus sum Arrianum V, 19,4 quocum congruunt et Plinius l. l. et Ptolemaeus VII, 1. ceterum urbes ambas iam statim post pugnam ab Alexandro aedificari coeptas esse narrat Curtius IX, 1,6: rex duabus urbibus conditis in utraque fluminis quod superaverat ripa, copiarum duces coronis . . . donat etc. postea IX, 3,23 neglegenter cum Alexandrum redisse narraret exstructas esse eas rursus tradit ('oppida quoque duo condidit') tum demum nomina eorum addens. similiter Diodorus XVII, 89,6 statim conditas eas refert, sed nominatus demum ab Alexandro reverso XVII, 95,6; quod vix credi potest. etiam in hac re fidem potiorem habebimus Arriano.

186) cf. Arrian. V, 20,2. 4. de classe iam tum parato (v. Curt. IX, 1,3, Diod. XVII, 89,6) nihil tradit Arrianus, atque credo satis multi negotii fuisse Cratero urbes aedificanti et alia necessaria paranti. vide etiam V, 29,3 et quae infra de his exponam.

187) Curtius IX, 1,1 milites 'quo promptioribus animis reliqua belli obirent' ab Alexandro pro contione laudatos et doctos esse quidquid Indis virium fuisset prostratum esse, ipsis iam praedam paratam esse opulentam: 'avidi milites et pecuniae et gloriae simul, quia numquam eos affirmatio eius fefellerat, pollicentur operam'. per se non esset incredibile, ad milites tum verba fecisse Alexandrum, praesertim cum illo iam tempore ex pugna cum Poro facta militum animi defessi essent, intellegentium non eodem modo vinci Indos atque Persas. tamen cum nihil de tali oratione tradant Arrianus ac ne Diodorus quidem, qui in ceteris hoc loco plane consentit cum Curtio, putarim a Curtio inventam esse hanc orationem quasi imaginem illius, quam ad ripam Hyphasis fluvii Alexandrum habuisse ad exercitum et Curtius et Diodorus tradunt: qua nihil effecit Alexander. etiam illam orationem ab auctore graeco fictam esse Arrianus arguit, qui duces tantum, non milites ab Alexandro appellatos esse tradidit. porro Diod. XVII, 89,3 et Curtius IX, 1,1 narrant Soli sacrificasse Alexandrum additque caussam Diodorus: *ὡς δεδωκότι τὰ πρὸς ἀνατολὴν μέρη καταστρέψασθαι* similiter Curtius l. l. 'victoria laetus, qua sibi Orientis fines apertos esse censebat'. quasi hac una victoria iam omnes ad orientem vergentes regiones subegisset Alexander! de hoc sacrificio tacet Arrianus, sed non ignorat aliis locis si uni tantum deo Alexander sacra facit cf. IV, 22,6. certe si post pugnam contra Porum factam Soli immolatum esset, commemorasset.

188) errat certe Diodorus XVII, 89,6 qui refert Alexandrum post conditas urbes atque classem aedificatam triginta per dies refecisse milites. verisimile quidem est triginta dies ad Hydaspis ripam moratum esse regem, partim etiam ut milites recrearet, sed intra hos triginta dies etiam urbes illae coeptae sunt aedificari.

ceterum mirum est a nullo scriptore regiae urbis Pori mentionem fieri neque tum neque postea cum Alexander reverterit. Lezius l. l. p. 40 putat non unius tantum populi ut Taxilem sed complurium nationum regem fuisse Porum, ut non unum potissimum caput regni haberet. mihi verisimilius est fuisse inter

aestivum[189]) cum equitum amicorum parte dimidia et selectis ex peditum magna multitudine et hippotoxotis omnibus Agrianisque et sagittariis via quae hodie Bember-Pass appellatur, in Glausarum vel Glaukanikarum[190]) sitam prope Bember urbem movit. ac venit per silvas

---

multas Pori urbes caput quoddam regium, sed absitum nimis ab Alexandri itineribus, quae ille tum propter imbres illius temporis maximos ad regiones submontanos versus facere cogebatur. rediens fortasse Alexander ibi erat, sed scriptores res posteriores Pori non iam tam accurate narraverunt.

189) si paucis diebus post Idus Maias pugnam ad Hydaspem factam esse putamus, quattuor vel quinque diebus post Idus Iunias Alexander in Glausarum regionem videtur profectus esse. *κατὰ θερινὰς τροπὰς* enim (Strabo XV p. 692) ad Acesinem castra munivit.

190) Alexandrum ludos celebrasse in sinistrae Hydaspis ripae eo loco, quo ab Darapur profectus flumen transmiserat, Arrianus narrat. ibi diutius moratus esse videtur, ut et militibus prope Darapur novam urbem Bucephala et Nicaeam prope Mong urbem condentibus auxilio esse posset. prope Darapur autem oppidum munitum eum exstruxisse verisimile est etiam ob eam caussam, quod eo ducit via secundum Indum ex Abhisâra veniens et si Abhisares re vera appropinquasset, facile ibi exercitus maiorem partem trans Hydaspem in dexteram ripam reducere potuisset Alexander. iam inde progressus est in Glausas vel Glauganikas vel Glaukanikas (cod. Arr. praeter A). priore eos nomine Ptolemaeus appellaverat, posteriore Aristobulus. Lassen II p. 165 adn. 1 nomen genuinum fuisse Glauka suspicatus est. vocabularium Petersb. comparat patron. glaucukâyanaka. qua via usus sit Alexander incertum est, utrum adverso flumine praeter Purân (Pauravana?) et Kohâr urbes ad ea loca quae incolae paullo supra Ielam urbem Hydaspem transgressi permigrant Bimbar (vel Bember) urbem petentes per Bember-Pass quae vocatur via, an per Kori-Pass (vide chart. VII Cunningh.) et inde in eam viam quae ducit in urbes Bimber Nauschera Rajaori et in caput Kaçmirae terrae. priore fortasse usus est ut quam primum Abhisarem, si prope Ielam Hydaspem superasset et Alexandro obviam iret, aggredi posset. certe prope Bimbar Pori regno finitimam regionem Glausarum urbes quaerendae mihi videntur esse (vide etiam Lassen: Pentapot. p. 26, Indische Alt. II p. 164). neque enim narrat Arrianus Alexandrum ex Glausarum regione revertisse in urbes Nicaeam et Bucephala, sed inde in Acesinem processisse V, 20,8. porro ex Glausarum regione sine dubio etiam Taxilem domum remisit V, 20,4, qui brevissima via a Bimber urbe per Ielam et Rawalpindi urbes Taxilas in urbem proficisci poterat. tum re vera in Glausas ex Abhisaris non Abhisares ipse, sed eius legati et eundem in locum etiam Phrataphernes Parthorum atque Hyrcaniae satrapa cum Thracibus militibus et nuntii a Sisicotto Assacenorum satrapa missi venerant, qui omnes optime via Ielam-Bimbar poterant uti.

iam si quaerimus qua de caussa in Glausas Alexander cum exercitu satis magno profectus sit, reperiemus eam quod regionem montanam quoque planitiei proximam ac satis validam subigere voluit ut fines a se peragrati tuti essent ab illa. quod Strabo narrat XV p. 698 *καὶ ἡ πρὸς τοῖς Ἡμωδοῖς ὄρεσιν ὕλη, ἐξ ἧς Ἀλέξανδρος κατήγαγε τῷ Ὑδάσπῃ κόψας ἐλατήν τε πολλὴν καὶ πεύκην κτἑ.* confirmant etiam Diodor. XVII, 89,4 et Curt. IX, 1,3 sq. Lassen II p. 164 Droysen II p. 147 ad hanc Glausarum regionem pertinere putabant. recte fortasse, si omnino credi potest Straboni, Diodoro, Curtio. nam Arrianus ne verbum quidem habet de navibus illis faciundis. neque tum Alexandro secundo Indo flumine in mare Indicum navibus vehi in animo iam fuisse verisimile est. sed reversus ab Hyphasi Augusto mense classem cum pararet Alexander iterum illas regiones visitare poterat. ad posteriorem igitur Alexandri expeditionem referri possunt illi Strabonis Diodori Curtii nuntii. ceterum aliae silvae sunt trans Acesinem de quibus referunt Curtius IX, 1,9 sq. et Diodorus XVII, 90,4 sq. atque erravit Lassen II p. 166 adn. 2. falsus etiam est l. l. ut Droysen II p. 147 Hertzberg II p. 271, alii, cum iam tum Alexandrum arbores iussisse concidi atque naves exstrui pro certo nuntiarint. qua de re videas quaeso quae infra exponam.

pinis piceis cedris plenas[191]), ubi angues molesti erant procedentibus multi, partim qui maximi viginti pedes longi.[192]) simiae quoque permulti ibi erant[193]) et magni ut procul visi non multum ab hominibus differrent.[194]) Glausarum autem urbes triginta septem deditione omnes recepit; quarum quae minima erat non minus quinque millia incolarum habebat; multae etiam supra decem millia. atque hanc quidem regionem Pori regno adiecit Alexander. conciliaverat etiam Porum cum Taxile vetere inimico et Taxilem tum in regnum dimisit. eodem tempore Abhisares hosti tam propinquo Alexandro fratrem aliosque legatos misit se totumque regnum et pecuniam magnam elephantosque quadraginta Macedoni tradituros. veniamque mandavit ut peterent pro ipsius defectione. cui et hos remisit legatos Alexander et suos[195]), qui Abhisarem confestim ad ipsum iuberent venire minarenturque Alexandrum ad illum cum exercitu iturum nisi mox accessisset. venerunt etiam ab Indis, qui liberis civitatibus utebantur[196]) cis et trans Hyarotim sitis, legati et dona afferentes civitatesque regi tradentes. neque non Porus[197]) regionis trans Acesinem circa Gud-

---

191) cf. Diod. XVII, 89,4; Curt. IX, 1,3 sq.; Strab. XV p. 698.

192) cf. Diod. XVII, 90,1 qui addit ὄντας ἑκκαιδεκαπήχεις. ex Clitarcho hausisse videtur illo loco. cf. Ael. N. A. 17,2. Nearchus apud Strabonem XV p. 706 ὅπου καὶ ἑκκαιδεκαπήχεις ἐχίδνας ὁρᾶσθαι. Pithonem Antigenis filium anguem talis magnitudinis tradit cepisse. ceterum Indos multo esse maiores eos qui maximi sint confirmasse (Arr. Indic. 15,10). quod sane credi non potest, cum hodie vix angues supra sex metra longi illis locis reperiantur. verius Aristobulum Strabo dicit ἰδεῖν ... ἔχιδναν ... μόνον ἐννέα πηχῶν καὶ σπιθαμῆς (= 4,37 metra longum), et se ipsum in Aegypto ex India apportatum eiusdem magnitudinis conspexisse. aperte autem mentitus est Onesicritus (cf. Aelian. XVI, 39 Strabo XV p. 698) qui tradidit legatos ab Abhisare venientes nuntiasse, duos ab rege illo ali angues, quorum unus octoginta, alter CXL cubita longus esset (revera fortasse octo vel duodecim c. longus). addiderat Onesicritus Alexandrum valde cupivisse eos spectare; postea narrabatur vidisse eos Alexandrum ipsum. cf. Tzetzem Hist. III, 940 sq. similiter Nearchus mentitus est Indos narrasse tigrim esse magnitudine maximi equi (Arr. Ind. 15,1). ceterum de cultu anguium apud Indos veteres cf. Lefmann l. l. p. 176 sq. et 364 sq.

193) cf. Strab. XV p. 699; Diod. XVII, 90,1; Aelian. XVII, 25.

194) inde historiola videtur nata esse, quam Strabo novit l. l. et Aelianus l. l. (primus autem Clitarchus videtur tradidisse, cf. Aelianum). omnia enim cum simiae solerent imitari, aciem quoque Macedonum, cum conspexissent, eos esse imitatos, ipse talem formantes. quos cum procul cernerent Macedones, hostes impetum velle facere esse ratos. atque ipsos voluisse congredi: cum Taxiles doceret, non homines inimicos esse sed simias, hominum imitantes facta.

195) cf. Arr. V, 29,4. illic enim redeunt legati qui ex Glausarum regione missi erant. vide etiam Hertzberg. II p. 269.

196) cf. quae de eis infra exponam.

197) Porum eum qui ab Alexandro victus fuisse ἀνεψιὸν Pori alterius inter Acesinem et Hyarotim fluvios regnantis Diodorus tradidit XVII, 91 et Strabo XV p. 699. iam mirum homines cognatos hostem totius Indiae appropinquantem Alexandrum non viribus coniunctis defendisse. sed potuit fieri ut alter patriam tueretur, alter proderet? concedamus. tamen eo magis mirum, Arrianum, qui solus de priore legatione Pori trans Hydaspem missa rettulerit, tacere omnino de amborum propinquitate. puto cum eodem illi reges nomine — non proprio sed regio — uterentur, Macedonum nonnullos cogitassse eos cognatos esse.

schranwala urbem sitae rex legatos misit, qui Alexandro denuo se et regnum cui imperabat commendarent. tristius tamen, quam advenerant, hi reverterunt, cum Porum veterem non catenis praeditum cernerent, sed ipsius Alexandri regis amicum esse cognoscerent.[198]) quo audito iam Porus ille, qui ante pugnam ad Hydaspem factam non tam amicitia commotus erga Alexandrum, quam inimicitia adversus veterem Porum legatos ad Alexandrum miserat se regnumque suum tradens, nunc magis Porum, quam Alexandrum metuens, e regione sua ad Gandaridas[199]) aufugit comites secum abducens quibus

---

poterant iure quidem ad unum, ut id dicam, auctorem veterem referri ambae regiae domus Pauravarum — nam Paurava vel Pûru nomen Indicum est quod Graeci *Πῶρον* reddiderunt, sed certe cognati non erant reguli illi Alexandri aetate regnantes. eiusdem populi gentes duas fuisse et cives Pori magni et Pori alterius etiam ex nominibus urbium concludi potest, quae nobis in utroque regno occurrunt; velut Ialâlpur et cis Hydaspem (paullo infra Darapur) et cis Acesinem et ultra extat. cum nomine Gudschrat urbis magnae intra Hydaspem et Acesinem conferas Gudschranwala inter Acesinem et Hyarotim. quare circa illa oppida utriusque Pori regna sita fuisse puto: et cis et trans Hydaspem Pori magni, fortasse inde a Miani ad Gudschrat usque, alterius inter Acesinem et Hyarotim circa Gudschranwala.

198) cf. Arrian. V, 21,3; Droysen II p. 146.

199) cf. Diod. XVII, 91,1. in nonnullis codicibus leguntur Gangaridae, atque Lassen II p. 163 adn. 3 (probante Droysenio II p. 148 adn. 1) hoc servans probabilius existimavit ad Gangaridas trans Gangem fluvium habitantes fugisse Porum alterum. sed primum vix credibile est eundem populum a Diodoro XVII, 91,1 Gangaridas esse vocatum, quos postea Gandaridas appellat XVII, 93,2 porro. variant ubique codices inter *Γαρδαρίδας* et *Γαδαρικούς*, ut aut ubique legere deberemus Gangaridas aut ubique Gandaridas. iam veri dissimile est trans Gangem tum fugisse Porum. sed quonam se vertit? habitabant Gandari inter Suastum et Indum fluvios, neque tamen illuc eum evasisse arbitrabimur. altera est Gandaritis, cuius regionis Porum hunc alterum ipsum principem vocant Lassen II p. 163 Droysen II p. 146 Strabonis prave nixi nuntio XV p. 699: *καλοῦσι δὲ Γανδαρίδα τὴν ὑπὸ τούτῳ χώραν*. sed si accurate Strabonis locum inspicias atque cum nuntio illo Diodori XVII, 91,1 conferas, reperies non Poro sed Sopithi Gandaridas fuisse subiectos. Strabo enim narrat l. l. p. 698: *μεταξὺ δὲ τοῦ Ὑδάσπου καὶ τοῦ Ἀκεσίνου ἥτε τοῦ Πώρου ἐστί.* p. 699 *καὶ τὴν Κάθαιαν δέ τινες τὴν Σωπείθους, τῶν νομαρχῶν τινος κατὰ τήνδε τὴν μεσοποταμίαν τιθέασιν*: ita codices recte; male addiderunt viri docti *καὶ* ante *τὴν Σωπείθους*; alii igitur scriptores veteres ponunt regnum Sopithis, cuius regio *Κάθαια* nominabatur, inter Hydaspem et Acesinem. quibuscum Arrianus congruit qui Alexandrum tribus diebus, postquam Nicaea (Mong) secundo Hydaspe provectus esset, in regnum Sopithis venisse tradidit. Aristobulus igitur et Ptolemaeus Sopithis regnum in interfluvio inter Hydaspem et Acesinem infra Pori regnum situm esse voluerunt (praeterea autem Cathaeos trans Hyarotim noverunt), et addere possumus montem illum salis extare cis Hydaspem inter oppida Ketâs (cf. Cathaeos) et Bheḍa (vide quae infra de Sopithe altero scripserim). pergit Strabo: *ἄλλοι δὲ καὶ τοῦ Ἀκεσίνου πέραν καὶ τοῦ Ὑαρώτιδος, ὅμορον τῇ Πώρου τοῦ ἑτέρου* . . . Pori alterius regnum inter Acesinem et Hyarotim situm fuisse omnes consentiunt. cur autem Strabo scripsit *καὶ τοῦ Ἀκεσίνου πέραν καὶ τοῦ Ὑαρώτιδος*, quidni *καὶ τοῦ Ὑαρώτιδος* tantum? certe quod illi Cathaeos et Sopithis regnum diversas tradiderunt esse regiones (vide Diodorum et Curtium) et Cathaei habitabant cis et trans Hyarotim, Sopithis regnum situm erat trans Hyarotim. illorum autem Cathaei prorsus alii sunt atque ei qui cis et trans Hydaspem habitabant. vox ipsa illorum ab Indica Khattia (skr. xattar 'die Bezeichnung einer Mischklasse Xatriyafrauen mit Cûdra oder umgekehrt') derivanda, vide Lefmann l. l. p. 749 adn. iam

ut fugae participes essent persuadere potuit. priusquam autem in regnum eius progressus est Alexander ex Sisicotti[200]), regionis inter Choem Indum Cophetem fluvios sitae satrapae, nuntiis audit Assacenos interfecto hyparcho defecisse a Macedonibus. ac proximis Tyriaspe satrapa Paropanisadarum et Philippo Peucelaitarum duce iussis cum copiis in Assacenos impetum facere ipse iam ad Acesinem amnem movit Thracibus adsumptis, quos Phrataphernes Parthyaeorum et Hyrcanorum satrapa adduxerat. ac processisse videtur in regionibus montanis vel submontanis, et quod ibi potissimum homines habitant propter locorum fertilitatem modo pulvinorum ex planitie in montes Himâlaya ascendentium, et ne imbribus tam graviter afficeren-

---

quae in Strabone sequuntur: *καλοῦσι δὲ Γανδαρίδα τὴν ὑπὸ τούτῳ χώραν* non ad Porum alterum referri posse docet Diodor. XVII, 91,1 coll. Arr. V, 21,3: Porus *φεύγει τὴν ἑαυτοῦ* (Arrian.) atque in Gandaridas confugit (Diod.) Gandaris ergo nisi regio Sopithis Diodorici esse nequit. illius autem regnum et Cathaeos antea Curtius aperte trans Hyarotim ponit. Diodorus plane cum eo congruit, fluminis sane nomen et transitum omittit. quibus non repugnat Arrianus V, 21,4 qui narrat: *ἐπὶ τοῦτον (Πῶρον τὸν ἕτερον) ἐλαύνων ἀφικνεῖται ἐπὶ τὸν Ὑδραώτην ποταμόν*. Porus igitur testibus etiam Ptolemaeo et Aristobulo trans Hyarotim fugerat. duos ergo habemus populos Cathaeos eosque diversos, nomine tantum a Graecis imposito pares, duos quoque reges Sopithas.

200) cod. Arriani *Σισίλου* vel *Σισίκου* praebent V, 20,7. coniectura Blamardi *Σισικόττου* satis probabilis est, quamquam Lassen aliter sensit II p. 165 adn. 3, qui *Φιλίππου* restituit; nam postea Philippus quidem satrapa Indiae ulterioris (*τῆς ἐπ' ἐκεῖνα τοῦ Ἰνδοῦ*) usque ad Bactrianam extensae commemoratur cf. Arr. VI, 2,3. quae ita dicta esse crediderunt critici recentiores, quasi de loco, ubi Alexander tum erat, Arrianus scripsisset; ut regio esset inter Choem Indum Cophenem sita. cuius regionis Nicanorem satrapam fuisse omiserunt (cf. IV, 28,6 *ἐπὶ τάδε τοῦ Ἰνδοῦ*). Philippus sane aliquis in Peucelaotide urbe cum praesidio tantum relictus erat. alterum autem Philippum Machatae filium Taxilis satrapam Alexander constituit. cf. V, 8,3. mirum eundem — si quidem idem est, nam de Philippo Peucelaitarum praefecto revera sequentia vix dici poterunt — postea *τῆς ἐπ' ἐκεῖνα τοῦ Ἰνδοῦ ὡς ἐπὶ Βακτρίων γῆς* tantum nominari satrapam (si haec verba de Alexandri loco dicta intelleguntur). accedit quod etiam Tyriaspes Paropanisadarum Bactrianis finitimorum tum erat satrapa. quare equidem verba *ὡς ἐπὶ Βακτρίων γῆς* interposita duco esse a docto grammatico qui *ἐπ' ἐκεῖνα τοῦ Ἰνδοῦ* explicare voluit sed erravit. nam de Taxilarum regione sumpserim *τῆς ἐπ' ἐκεῖνα τοῦ Ἰνδοῦ*, de Arriani loco scriptoris dicta; neque ulla iam necessitate cogimur ut putemus Philippum Mach. f. sive illum qui Peucelaitarum praefectus erat praesidio, Assacenorum fuisse satrapam. videtur Sisicottus post Nicanorem vita fortasse defunctum sive alia de caussa magistratu abdicatum satrapa ab Alexandro factus esse, non modo sane Assacenorum sed totius regionis intra Choem Indum Cophenem fluvios sitae. ille tum per nuntios rem Alexandro defert, qui praefectos regionum vicinarum, velut Tyriaspem Paroponisadarum satrapam utque videtur Philippum Peucelaitarum ducem ei auxilio venire iubet. ceterum ne hoc omittam: quemnam hyparchum Assaceni interfecerint nescimus, cum antea non aperte dictum sit, Alexandrum eis hyparchum novum constituisse, vetere in Massagorum urbis oppugnatione necato. verisimile quidem est novum hyparchum Assacenos accepisse ab Alexandro ac novit Arrianus nomina duorum hyparchorum inter Alexandri comites, alterum *Κωφαῖον*, certe eum, cuius gens propius *Κωφῆνα* circa Peucela urbem habitabat, alterum *Ἀσσαγέτην* populi septentrionalioris Assacenorum hyparchum. quae nomina quasi magistratum significabant non hominem, ita ut *Ἀσσαγέτης* esse posset hyparchus Assacenorum ab Alexandro eis constitutus.

tur milites. nam tum fere — erat extremus mensis Iunius[201]) — plani Indiae campi omnes quasi latus lacus aquis et caeli et fluviorum superfusi erant.[202]) venitque ad Acesinem amnem rex inter urbes Ialalpur et Sialkot. ibi enim hodie quoque via a Bimbar veniens traducit fluvium.[203]) latus erat amnis quindecim fere stadia vel duo millia octingenta metra. re vera inter Sialkot et Wezirabad compluribus alveis fluit Acesines[204]), qui tempore solstitiali imbribus aucti in unum coeunt latum flumen in quo saxa magna atque aspera quasi insulae minimae restant.[205]) inque dies tum latior fiebat. certe Alexandrum castra quae ad ripam Acesinis ipsam tum iusserat poni a fluvio crescente in locum editiorem tradunt movisse.[206]) cum rapidus etiam undarum fluctus esset, vix illic Macedones transmiserunt. navium[207]) certe quibus transvecti sunt non paucae saxis illisae illic ruptae interierunt. facilius alii utribus[208]) fluvium stramentis completis superaverunt.

Atque Coenus quidem, ut Crateri copias transmittendas curaret,

---

201) cf. Strabon. XV p. 692.

202) cf. Nearch. et Aristobul. apud Strabon. l. l. posterior *καὶ μέτρα τῆς ἀναβάσεως ἐκτίθεται τετταράκοντα πήχεις, ὧν τοὺς μὲν εἴκοσιν ὑπὲρ τὸ προϋπάρχον βάθος πληροῦν μέχρι χείλους τὸ ῥεῖθρον, τοῖς δ' εἴκοσιν ὑπέρχυσιν εἶναι εἰς τὰ πεδία. ὁμολογοῦσι δὲ καὶ διότι συμβαίνει νησίζειν τὰς πόλεις ἐπάνω χωμάτων ἱδρυμένας.* p. 693 *ὥστε καὶ ῥεῖτρα ποταμῶν ἀλλάττεσθαι.* quod revera saepius factum est neque solum Indus cursum inferiorem mutavit (cf. Strab. l. l. 693) sed etiam fluvii inter Acesinem et Çatadrum (vide chartas). praeterea in interfluviis illis in planitie sitis multae fossae arte factae aquam ex magnis fluviis in regiones paullo aridiores derivabant. quae omnia Alexandri expeditionem impedissent, si per planum duxisset. postremo veteres Alexandrum ab Hydaspe ad Hyphasim non iam in meridiem sed in orientem versus processisse tradunt, v. Strab. XV, 700: *ἡ μὲν οὖν μέχρι τοῦ Ὑδάσπου ὁδὸς τὸ πλέον ἦν ἐπὶ μεσεμβρίαν, ἡ δ' ἐνθένδε πρὸς ἕω μᾶλλον μέχρι τοῦ Ὑπάνιος, ἅπασα δὲ τῆς ὑπωρείας μᾶλλον ἢ τῶν πεδίων ἐχομένη.*

203) vide chartam Herrichianam Afghanistan terrae.

204) vide Kiepertianam Iran terrae.

205) cf. Arr. V, 20,8.

206) v. Strab. XV p. 692.

207) utrum partem navium Alexander quibus Hydaspem transmisit secum duxerit (cf. Curt. VIII, 10,3: quia plura flumina superanda erant) an novas fecerit, an Porus de suis dederit, diiudicare non possumus. primum verisimile non est, cum ex Glausarum tum regione Alexander veniret; poterat vero recta via a Nicaea urbe arcessere.

208) vide Arr. V, 20,8. ceterum de fluminis nomine ut addam nonnulla: non commemoratur ab Diodoro, cum narrat XVII, 90,4: *περάσας τὸν ποταμὸν κτἑ.* neque videtur nomen afferre Curtius IX, 1,9: quamquam ibi apud Zumptium editorem legimus: 'hinc Poro amne superato'. sed cum totus locus Curtii insequens consentiat cum Diodoro l. l. eosque ex uno eodemque auctore hos nuntios sumpsisse veri non dissimile sit, mihi quidem constat, ne Curtium quidem fluvium nomine vocasse, sed 'Poro' illud ex alio quocumque verbo depravatum esse. 'porro' cod. Flor. D servavit, fortasse recte. Macedones demum, nomen eius alterum 'Asiknî' ut videtur respicientes, Acesinem eum appellaverunt, cum apud Indos Kshandrabhaga (graece Sandrophagos, Plinius Cantabam N. Hist. VI, 71 commemorat) nominaretur. cf. A. v. Schlegel, Ind. Biblioth. II p. 297, Lassen I p. 55, Droysen II p. 147 adn. 4 et nuper: A. Weber, Sitzungsberichte der Akademie, Berlin 1890 p. 902 f. hodie Chenab vocatur.

cum sua legione in ripa citeriore relinquitur. Porus in regnum remittitur, qui ex suis electos bellicosissimos et elephantos, si qui iam essent adduceret. ipse Alexander alterum Porum, quem ex regno aufugisse supra iam commemoravi, cum copiis expeditis in animo habuit persequi[209]), sed per Pori regni fines septentrionales satis habuit proficisci. ac per silvas movit in spatium ingens diffusas: arbores in eximiam altitudinem editas miratus, quarum rami ad terram deflexi rursus qua se curvaverant, quasi novae arbores erigebantur.[210]) solis vim umbrae mitigabant arborum, aquae etiam largae ex fontibus manantes frigidiorem reddebant aera.[211]) tamen non sine damno progressus est. magna enim angium copia variorum ubique reperiebatur. nemo usquam tutus erat. maximeque ei, quorum squami auri reddebant fulgorem, noxii erant cum morsum praesens mors sequeretur. lectos Macedones ab arboribus pendentes faciebant, ne serpentes adirent, sed ne sic quidem prorsus ab illis liberati securique erant, ut maximam partem noctis vigiles essent.[212]) mox ab incolis morsus remedium oblatum est[213]) atque Alexander collegit apud se Indorum quotquot medicinae peritissimi erant. et per praeconem in castris edictum fuit ut, siquis ab angue morsus esset, regis tabernaculum conveniret.[214]) iam prope urbem Zafanwal Degh fluvio minore superato tandem paullo infra Nainakot urbem Hyarotim fluvium assecutus est, cursus rapiditate non latitudine Acesine minorem. per totam autem regionem peragratam locis maxime idoneis praesidia reliquit, ut Craterus Coenusque tuti ad se venirent regionis illius partem maximam vastantes; cumque Hephaestionem peditum adiungens legiones duas equitumque propriam et Demetrii hipparchiam et sagittariorum partem dimidiam, in Pori regionem remitteret interiorem subactamque Poro veteri tradi iuberet et si quae aliae ad Hyarotis fluvii ripam inferiorem nationes Indorum liberae considerent, Pori veteris dominationi subiungere[215]), ipse faciliore iam opera quam antea Acesinem Hyarotim tum fluvium inter Naina-Kot et Gurdaspur urbes

---

209) id inde licet cognoscere, quod Craterum et Coenum non exspectabat, etiam Hephaestionem cum parte exercitus in Pori alterius regnum interius mittebat, cum ipse Hyarotim transiret. cf. Arr. V, 21,4: *ἐπὶ τοῦτον ἐλαύνων Ἀλέξανδρος ἀφικνεῖται ἐπὶ τὸν Ὑδραώτην ποταμόν*.

210) cf. Curt. IX, 1,9 Diod. XVII, 90,5.

211) Curt. IX, 1,11.

212) Diod. XVII, 90,7.

213) Curt. IX, 1,12 Diod. l. l.

214) vide Nearchum apud Arrian. Ind. 15,11.

215) Arrianus V, 29,3 scripsit: *καταλαμβάνει* (inde ab Hyphasi rediens Alexander ad Acesinem) *τὴν πόλιν ἐξῳκοδομημένην ἥντινα Ἡφαιστίων αὐτῷ ἐκτειχίσαι ἐτάχθη*. tacet de ea munienda hoc loco (V, 21,5) atque videtur nuntio demum ab Hephaestione allato (cf. Diod. XVII, 93,1; Curt. IX, 1,35) Alexander iussisse urbem non condendam novam curare Hephaestionem, quod sumpsit Droysen II p. 167 cf. Hertzberg II p. 274 — sed *ἐκτειχίσαι*: muniendam.

superavit[216]), ac plerasque quos iam aggressus est gentes, deditione recepit; nonnullas etiam armis obviam euntes, fugientes alias in dicionem redegit; cumque nuntiaretur liberorum Indorum regiones colentium paullo meridionaliores circa Iandiala et Amritsar urbes alios et Cathaeos praecipue defecisse[217]) et parare pugnam si Alexander ipsis admoveret neque non finitimos eosdemque liberos populos ut secum resisterent una sollicitasse, — aeque fortes dicebantur esse Cathaei[218]) atque Oxydracae et Malli, populi fortissimi, quos ne Porus quidem et Abhisares ipsorum coniunctis copiis et Indorum aliis adsumptis potuerant debellare — in illos iam Alexander exercitum duxit.

Primum in Cathaeos[219]) eorumque urbem munitissimam Sangala ad quam eos velle cum Alexandro pugnare nuntiatum erat, conten-

---

216) ad 'Hyarotim' venisse regem tradidit Curtius IX, 1,13, sed superatum eum esse a Macedonibus oblitus est dicere, quamquam IX, 1,35 scripsit: 'relicto igitur Sopithe in suo regno ad fluvium Hypasin processit'. Diodorus non commemoravit omnino Hyarotim, sed XVII, 93 *ἐπὶ τόν Ὕπανιν προῆγεν* narrat. ceterum Strabo quoque *Ὑάρωτιν* nominat, hodie Rawi vel Iraeoti (vetus Iravati) vocatur, ut optime Arriani auctores eum *Ὑδραώτην* appellaverint. superavit autem flumen Alexander loco inter Naina-kot et Gurdaspur urbes sito, ubi hodie quoque transeunt Indi.

217) ex eo quod Arrianus V, 24,6 scribit *ξυναφεστώσας τοῖς Σαγγάλοις* elucet, hos fuisse inter eos qui antea legatos ad Alexandrum trans Acesinem miserant. aliter neque tamen recte iudicat Lezius p. 48 'apparet quo superbiae Alexandri aequales progressi fuerint qui homines liberos libertatem propugnantes non tam pro hostibus quam pro rebellibus haberent'.

218) ita interpretanda esse verba Arriani V, 22,2 *καὶ τούτους κατὰ τὰ αὐτὰ* scil. *ἐνομίζοντο* iam dudum philologi Raphelius et Gronovius intellexerant et Schmiederus Kruegerusque probaverant ut satis mirer Lefmannum quoque scribere: Kathaear mit Oxydraker(n) und Maller(n) nnd andere(n) hatten sich verbündet und ihre Kriegsmacht in die feste Hauptstadt Sangala geworfen.

219) *Κάθαιοι* qui a Graecis historicis commemorantur et qui hodie Kattia dicuntur populi circa Kshandrabhaga, Iraeoti, Çatadru fluvios inferiores habitantes iidem videntur Lassenio esse II p. 167 cf. I p. 127 adn. 3 p. 782 adn. 1. derivavit nomen de Indico Xatri. atque eodem Arriani *Ξάθρους* putavit pertinere, qui eos circa Acesinem ratus est habitare priusquam in Indum decurrit. atque hoc quidem possumus concedere Lassenio, nomina esse eadem; erravit tamen cum Cathaeos Alexandri temporibus commemoratos inter fluvios Hyarotim et Hyphasim inferiores conetur investigare. cf. Kruse, das alte Indien p. 60. Alexander autem venit ad Hyphasim fluvium ant priusquam ille Hesydrum (Çatadru, Satlej) receperit, aut Hyphasis tum omnino non influebat in Hesydrum sed in Hyarotim cf. Arr. Ind. 4,8, aliis temporibus in Acesinem inferiorem (v. chart. V Cunningh.). Plinius certe N. H. VI, 21 tradidit: 'ad Hydaspem fluvium clarum $\overline{CXX}$ ad Hyphasim non ignobiliorem CCCLXXXX = $|\overline{XXV}|\ \overline{IIII}$, qui fuit Alexandri itinerum terminus . . . reliqua inde Seleuco Nicatori peragrata sunt: ad Sydrum (= Hesydrum) $\overline{CLXVIIII}$, Iomanem (Iamûna, quae influit in Gangem) tantundem (aliqua exemplaria adiciunt $\overline{V}$ passuum)'. verba postrema inclusa sine dubio referenda ad intervallum inter Hesydrum et Iomanem, atque erravit Cunningham I p. 217. supra (cf. Taxila iterque Alexandri ad Hydaspem) vidimus Plinii numeros illos fide dignissimos esse. ac si Seleuci Nicatoris iter investigamus, numeri Plinii nisi in viam quae conectit Gurdaspur (cis Beas) — Hoshjapur — Rupar (in sinistra ripa Satlej fluvii) indeque per Mani-Madschra, Sadhaura, Bihat vel Saharunpur (in sinistra Iamunae fluvii ripa sitas) urbes omnino non quadrant. contendo igitur Alexandrum ad Hyphasim venisse prope urbem Gurdaspur. iam priusquam ad Hyphasim ipsum accessit rex in Sopithis

dit. et altero die ab Hyaroti fluvio profectus ad urbem venit Pimprama appellatam[220]); regionis incolae Adraistae[221]) nominabantur.

---

et Phegei regna venit cf. Curt. IX, 1,35 sq. Diod. XVII, 93,1 sq. quae sita esse infra definiemus inter Begas-Ganga et Ban-Ganga fluvios. prope enim posteriorem Mundi vel Mandi vel Mondi extat, ubi salis mons invenitur inque alveis superioribus Beyaḥ (vel Beas) et Satlej fluviorum invenitur aurum argentumque, ut ea quoque quae Strabo XV p. 700 narrat *καὶ χρυσεῖα δὲ καὶ ἀργυρεῖα οὐ πολὺ ἄπωθεν ἐν ἄλλοις ἱστορεῖται καλά, ὡς ἐδήλωσε Γόργος ὁ μεταλλευτής· οἱ δὲ Ἰνδοὶ μεταλλείας καὶ χωνείας ἀπείρως ἔχοντες οὐδ' ὧν εὐποροῦσιν ἴσασιν, ἀλλ' ἁπλούστερον μεταχειρίζονται τὸ πρᾶγμα*, ad haec loca tantum referenda videantur esse. *χρυσεῖα* illa et *ἀργυρεῖα* non minas quas dicunt auri vel argenti significare puto sed loca ubi aurum et argentum in montibus obrutum iacet, quod Indi non ut Graeci effodiebant, sed satis habebnnt aurum argentumque colligere, quod in fluminibus illis superioribus inveniebant. sed antequam in illorum principum regionem venit Alexander alias nonnullas urbes agressus erat, inter quas Cathaeorum Sangala erant. Cunningham I p. 180 vetera Sangala inter Acesinem et Hyarotim fluvios sita esse existimavit eo loco ubi nunc Sanglawala-Tiba ('Sangla-hill') extat. omitto quod collis minor fuit quam qui septuaginta millia hominum potuerit capere praeter septendecim millia quae caesa sunt. sed Cunningham putavit vehementer errasse et Arrianum et Curtium (et Diodorum), qui trans Hyarotim fluvium Cathaeos habitantes fecissent. talem errorem confiteor me neque Arriani neque Curtii auctoribus tribuere. at invenit ibi Cunningham etiam paludem, neque multum absitum collem quoque ubi Sangalenses cum Alexandro certaverunt. sed eadem palus, iidem colles etiam ad urbem reperiuntur quam olim Pimprama vocatam esse sumpsit Cunningh. Survey II p. 200. eadem inveniuntur ad urbem Harîpah, quam Masson (cf. Narrat. of var. Journ. I, 453; Journ. of Asiat. Soc. of Bengal VI, 58) Sangala arbitratus est, cuius sententiam probavit Wilson Ariana Antiq. p. 197. palus denique extat etiam ad Amritsar urbem ('der heilige Teich') inter Hyarotim et Hyphasim, sitam, ut Lassen II p. 168 adn. 1 (probante nuper Kaerstio l. l. I p. 365 adn. 2) suspicatus sit, eam vetera Sangala fuisse. at eadem vox est in Sangla-wala-Tiba atque in Sangalis Graecorum? videtur sane et est certe. tamen quidni urbes diversae poterant esse? diversam quidem a vetere Cathaeorum urbe Sangalis Ptolemaeus novit urbem Panduorum circa Hydaspem superiorem habitantium *Σάγαλα, ἡ καὶ Εὐθυδημία* et Prasiorum ad Gangem Sagala cf. VII, 1,46; 53. fortasse etiam Çakala Madrarum alia atque Cathaeorum urbs, fortasse eadem, cf. Lassen I p. 801 adn. 2. supra dixi Alexandrum prope Gurdaspur venisse ad Hyphasim fluvium. iam ultra eum locum in septentrionem versus et orientem habitabant in regionibus montanis ac submontanis regibus subditi populi, in regionibus meridionalioribus usque ad confluentes Hydaspem Acesinem Hyarotim Hyphasim populi liberi, inter quos Cathaei Alexandri itineri per regiones montanas proximi. omnes uno nomine Araṭṭa (vel Arashtra), graece Arestae (ita Iustini auctor eos nominat) vel *Ἀδρασταὶ* vocabantur, quod nomen sane Arrianus et Diodorus (*Ἀδρησταὶ*) uni tantum genti tribuunt. iam Sangala urbem in campo plano sitam fuisse ex eo apparet, quod moenia urbis lateritia erant neque urbs ipsa in colle aut in monte sita esse narrabatur. si autem nomina locorum similia in illa regione respicias, invenies inter Amritsar urbem (sexto decimo saeculo nostrae aetatis demum conditam) et Beyaḥ fluvium diversa nomina in la exeuntium velut Bata-la, Iandiala, Burdala, alia, ut prope ea loca etiam Sangala sita fuisse putabimus, fortasse prope Iandiala. nam si tertio itineris die ab Hyaroti Sangala venit Alexander (teste Arriano), primo eum ad Gurdaspur, altero prope Batala ('Pimprama'), tertio prope Iandiala fuisse concedemus. — Spiegel (Ausland 1873 p. 847), Hertzberg II p. 275, Lefmann p. 749 adn., Cunninghamii sententiam probavere satis leviter.

220) eadem videtur esse urbs atque ea quae teste Curtio IX, 1,14 obsidione capitur priusquam Sangala Alexander venit. etiam tributum impositum esse scit Curtius, rectius fortasse hoc tradens quam de obsidione.

221) Adraistarum nomen Lassen Pentap. Ind. p. 22 ex Indico Ârâshtra (Âraṭṭa

quos deditione facile Alexander recepit. cumque postero die milites refecisset quarto[222]) Sangala ad urbem[223]) progressus est. atque Cathaei ceterique eorum accolae prope urbem in clivo non undique praerupto constiterant. in medio colle stantes circumcirca currus in orbem dispositi triplici quasi vallo tuebantur. cuius loci naturam munitionemque et hostium multitudinem conspicatus Alexander aciem quam potuit commodissime instruxit, hippotoxotas interea emittens, qui adequitantes telis peterent Indos, ne prius excursionem illi facerent, quam milites Macedones apte Alexander collocasset, utque damnum ante ipsam pugnam iam acciperent etiam intra munimenta curruum recepti. in dextro cornu equitum agema posuit et Cliti hipparchiam, proximos his hypaspistas cum Agrianis; in sinistro Perdiccae equites cum pezhetaerorum legionibus[224]) collocavit: et his quidem Perdiccam praefecit. sagittarios denique in utrumque cornu divisit. ita fere acie instructa superveniunt Alexandro agminis postremi milites. quorum equites divisos in cornibus collocavit, pedites phalangi adiunxit eamque confertiorem reddidit. iam assumptis dextri cornus equitibus rex in Indorum currus a parte laeva stantes movit cum et facilius ibi collis adiri posse videretur neque ita densi currus compositi essent. Indi vero non extra currus prorumpentes in adequitantes Macedones impetum fecerunt sed conscendentes currus ex altiore loco tela immiserunt permulta, ut Alexander, cognito equites

---

in Mahâbhârata legitur) derivaverat. significat vox populos sine regibus. res immerito ei dubia visa est Ind. Altert. II p. 167 adn. 5 cum una tantum hoc nomine gens appelletur. (Arriani) Ἀρατρίων (cf. Peripl. mar. p. 27 ed. Huds.) iam Wilson ('An essay on the history of Cashmir' in Asiat. Res. XV p. 100) ad Araṭṭas illos recte rettulit. Droysen II p. 150 adn. pro Attakenis quos circa Neudri fluvii fontes inter Acesinem et Hyarotim habitantes fecit Arrianus, restituendos esse Arattakenos opinatus est, nisi quod equidem talem nominis formam: 'Arattenos' praeferrem; sed dubium num ibi liberi populi (sine regibus) habitaverint. fortasse igitur Ἀσσακηνῶν legendum, nam vicini sunt trans Hyarotim Gandari vel Gandaridae eorumque rex Açvapati = Sopeithes. etiam intra Suastum et Indum (et trans Indum) habitabant Gandari et vicini Assaceni. ceterum et Adraistas et Arestas et Aratrios unius nominis Indici diversas puto esse effigies Graecas, velut supra Hippasios, Aspasios, Assacenos, Aspaganos cognovimus. nimium igitur cautus fuit Lassen II p. 167 adn. 5.

222) tertio ut videtur die, sed quarto postquam ab Hyaroti profectus erat. certe erraverunt Droysen II p. 150 et Lassen II p. 167, vide Lezium p. 46,2.

223) cf. adn. 219. ceterum de Cathaeis Strabo XV p. 699 fin. et Diodor. XVII, 91 afferunt, mulieres pati se comburi cum maritis mortuis. quam legem dicebant rogatam esse ne veneno ulla uxor coniugem alterius iunioris conflammata amore de medio tolleret, quod semel factum causam legis fuisse Diodorus narrat, cum Strabo dicat: ὅτι ἐρῶσαί ποτε (αἱ γυναῖκες) τῶν νέων ἀφίσταιντο τῶν ἀνδρῶν ἢ φαρμακεύοιεν αὐτούς. atque ad Cathaeos tantum hunc morem tamquam ad liberum populum bene posse referri Lassen putavit II p. 171; qui mos quamquam nostra quoque aetate, utque Kruse l. l. p. 60 dicit, praecipue in Kschatrija ordine invenitur, tamen ab Ariis vetustis Indiae non adhibebatur neque leges Manu eum noverunt.

224) quot hoc loco sint πεζεταίρων τάξεις et quaenam dici nequit, cum Craterus et Coenus et Hephaestion cum peditibus afuerint, et ignoremus, num Craterus aut Hephaestion πεζεταίρους secum duxerint.

huic pugnae parum aptos esse, iam pedites pedes ipse adduxit in Indos. neque difficulter illi a primo curruum ordine repellebantur: facilius tamen de secundis[225]) Indi Macedones defendebant. nam et densiores orbi curruum minori insistebant et Macedones angustiore utebantur spatio, cum et currus primos submoverent interque spatia iam non acie sed singillatim paene in hostes irrumperent. tandem etiam ex his Indi depulsi neque iam hostibus omnia vincentibus resistere ausi relictis tertiis curribus in urbem quanta potuerant celeritate confugerunt.[226]) atque eodem die Alexander peditibus quantum urbis potuit cinxit; nam totam nimis amplam cingere nequivit. ubi pedites non stabant et palus[227]) erat non multum ab urbe absita equites collocavit cum paludem non profundam esse audiret, suspicans simul, Indos clade priore perterritos nocte ex urbe hac via excessuros. quod ita evenit; nam circiter secundum noctis vigiliam plurimi oppidanorum ex urbe egressi paludem coeperunt pervadere. quorum primi ab equitibus ibi positis caesi sunt, ceteri iam paludem quoque ab hostibus cinctam esse cognoscentes in urbem redierunt. quam Macedo duplici circumdedit vallo duobus vel tribus diebus perfecto[228]), ubi palus quidem eam non cingebat. illic enim accuratius tantum custodias posuit. atque machinis muros in animo habuit petere. quae dum exstruuntur transfugae quidam oppidani detulerunt, Indos proxima nocte statuisse ex urbe circa paludem ubi vallum desineret sese proripere. quo audito Alexander Ptolemaeum L. f. cum hypaspistarum tribus chiliarchiis omnibusque Agrianis et sagittariorum una legione[229]) in loco vallo carente collocavit, exponens ei, ubi potissimum hostes erupturos esse suspicaretur. ac si illinc erumpentes videret, et ipse cum suis militibus repelleret hostes utque tuba signum dari iuberet; ceterisque mandavit ducibus ut tubae signo cognito cum suo quisque agmine compositi eo adirent, unde tuba audita esset. neque se ipsum

---

225) legitur adhuc apud Arrian. V, 23,2 *πρὸ δὲ τῶν δευτέρων*. corrigendum est: *ἀπὸ δὲ τ. δ.*

226) octo millia Indorum cecidisse recte fortasse tradit Curtius IX, 1,17, tacens de Macedonibus mortuis. Arrianus neque Indorum neque Macedonum refert quam multi caesi sint; nam infra V, 24,5 de interfectis tantum in urbis oppugnatione Macedonibus narrat, nisi mavis *ἐν τῇ πάσῃ πολιορκίᾳ* referre etiam ad pugnam circa currus.

227) Arrianus *λίμνην*, Curtius paludem nominat. voce *λίμνης* apud Graecos et lacus et palus significari poterat, quin etiam inundatione factus lacus et palus, ut difficile sit dicere num melius Curtius lacum pro palude posuerit. Lezius lacum praefert.

228) Porum priorem Alexander audito certe Porum alterum fugisse, statim Acesinem transgressus domum remiserat. si quattuor fere diebus — flumen enim Degh superandus erat — Alexandrum ad Hyarotim venisse, uno die eum transisse, quarto deinde die Sangalenses aggressum esse sumimus, iam si urbis oppugnandae dies adhuc numeramus duos, die duodecimo Porum advenisse putabimus. tempus igitur ei sufficere poterat ad imperata ab Alexandro perficienda.

229) sagittariorum minime duas fuisse legiones ex hoc Arriani loco V, 23,7 cognoscitur.

pugnae defuturum. iamque Ptolemaeus illa nocte curruum in prima fuga ut supra narratum est relictorum illuc plurimos adduxit posuitque transversos in via ut hostes nocte fugientes impedirentur. sublicarum quoque caesarum quantum nondum in terra depactum hic illic inter se conexuit inter paludem et muros, cum quarta fere vigilia barbari, ut Alexandro delatum erat, portis quae ad paludem vergebant reclusis cursim eam petiere. neque tamen custodias ibi positas latuere neque Ptolemaeum, pone eas collocatum. sed confestim et tibicines signum dant et ipse cum exercitu armato compositoque in hostes impetum facit curribus impeditos et vallo novissime exstructo. ac multis qui subinde per currus penetrabant interfectis — quingentos fere barbari desiderabant — reliqui facili opera in urbem compulsi sunt. eodem tempore etiam Porus, Alexandri amicus, advenit Indorum quinque fere millia secum adducens elephantosque reliquos; et spectare iam potuit, quomodo Macedones urbem hostilem expugnare solerent. nam machinae iam perfectae muro admovebantur.[230]) sed prius etiam quam ullam muri partem destruxissent Macedones suffodientes eum lateritium scalasque undique afferentes vi urbem capiunt. cuius intêr expugnationem Indorum septendecim millia caesa sunt, capta reliquorum et incolarum et accolarum septuaginta millia, currus trecenti, equites quingenti. Macedonum in universa oppugnaticne nondum centum cecidere, vulnerati sunt non pro caesorum numero plus mille ducenti; in his alii duces et Lysimachus somatophylax.[231])

Statim post Sangalensium urbem expugnatam necatosque solito more sepultos Perdiccam ad Sangalensium regionem vastandam et Eumenem[232]) scribam a litteris regiis ad duas urbes eas, quae cum Sangalensibus defecerant, cum equitibus trecentis dimisit, qui Sangala urbem a Macedonibus captam esse deferret oppidanis neque quidquam mali eis futurum esse amice Alexandrum recipientibus. neque alios

---

230) Curtius die altero post primam victoriam ante urbem reportatam hoc factum urbemque ipsam expugnatam esse cum tradidit (IX, 1,18) certe erravit.

231) Lezius p. 48 adn. 2 ἱππεῖς in ἵπποι mutandum esse putat, sed si ἱππεῖς dicebat Arrianus militum genus appellare voluit, cum inter septuaginta millia incolarum et accolarum praeter proelio inutiles praecipue pedites fuisse intellegendum sit.

232) de solo Eumene refert Arrianus, Curtius IX, 1,19 Perdiccam ad vastandam regionem ab Alexandro missum esse, Eumeni partem copiarum traditam ut is quoque barbaros ad deditionem compelleret. Lezius p. 117 haec Arriano non repugnare putat; certe si Perdiccam ad vastandam Sangalensium regionem missum esse putamus, quod cum minus grave esset, Arrianus omisit. accuratius tamen de Eumene, quam Curtius narrat. in sequentibus quoque Arrianus valde brevis est. dubium autem, num Curtio aut Diodoro in illis fidem habeamus potiorem. nimis enim rhetorice rem referunt. quod Curtius IX, 1,22 utque apparet Polyaenus IV, 3,30 ex eodem fonte habent urbis cuiusdam obsides cum ante agmen ducti ab alterius urbis cui exercitus appropinquaret incolis utpote gentis eiusdem in colloquium convocati clementiam regis simulque vim praedicassent, ad deditionem illos compulisse, historicum non tam vera quam mira studentem narrare prodit.

harum regionum liberos Indos male ab Alexandro esse tractatos quot quidem sua sponte se tradidissent. Indi tamen cognita iam urbis expugnatione hostiumque hoc loco crudelitate Eumenem appropinquantem non exspectaverunt sed perterriti urbes hostibus relinquentes fugae se dederunt. quos audito Alexander velociter insecutus est. paucos tantum assequi licuit eosque aegrotos plerosque aut aetate fessos. et hos iam, quingentos fere, satis crudeliter trucidaverunt Macedones. deinde Sangala reversi deleverunt et vastaverunt, regionem Indis, liberis antea, tum voluntarie Alexandro adiunctis attribuit; quos ipsos Pori regno adiunxit Porumque cum copiis suis in eorum urbes dimisit, praesidia dispositurum. ipse cum exercitu ad Hyphasim fluvium superiorem regressus ad urbem venit satis validam (fortasse Dinanagar) quo aliarum quoque urbium confugerant incolae. miserant oppidani qui urbem traderent regi. nihilo tamen minus bellum parabant; nam seditio exorta erat, ut alii omnem salutem in deditione positam esse putarent, plurimi autem dimicare potius vellent. iamque Alexander exercitum adduxerat, cum ei qui se regi tradere statuerant occasione data apertis portis Macedones in urbem receperunt.[233]) urbi Alexander pepercit, ut malam famam quasi crudelis esset urbium expugnator populatorque ex Sangalensibus occisis et Sangalis destructis captam deleret exstingueretque. effecit quod voluit, faciliusque iam et proximae et ceterarum quas aggressus est urbium incolae accesserunt.

Liberis Indis subactis iam in Sopithis[234]) regnum finitimum du-

---

233) Curtius haec satis probabilia narrat. Diodorus XVII, 91,4 dicit tantum: *ἄλλην δ' ἀξιόλογον πολιορκοῦντος αὐτοῦ καὶ μεθ' ἱκετηρίων δεηθέντων τῶν 'Ινδῶν ἀπέλυσε τῶν κινδύνων αὐτούς*; Arrianus V, 24 prorsus tacuit. breviter rem in universum tetigit Droysen II p. 154. commemoraverunt Lassen II p. 169 et Hertzberg II p. 280, qui tamen duas tantum easque Cathaeorum urbes noverunt. inter liberos sane Indos numerandae sunt.

234) iam supra ostendi duas nos habere de Sopithe et Cathaeis opiniones, unam Arriani, alteram Diodori Curtiique. posteriores atque adeo auctores Alexandrum transmisso Hyaroti fluvio ad Sopithem venisse statuunt. Arrianus (vel Ptolemaeus) de rebus illis inter Hyarotim et Hyphasim superiorem gestis, de Sopithe illo et Phegeo, altero a Diodoro Curtioque commemorato regulo, prorsus tacuit, ut videtur, quod nihil illae res ad bellum gestum pertinebant. VI, 2,2 autem tradidit: *Κράτερος δὲ αὐτῷ . . . παρὰ τὴν ὄχθην τοῦ 'Υδάσπου τὴν ἐν δεξιᾷ ἦγε· κατὰ δὲ τὴν ἑτέραν ὄχθην 'Ηφαιστίων προὐχώρει . . . τούτοις δὲ ἦν παρηγγελμένον ὡς τάχιστα ἄγειν ἵναπερ τὰ Σωπείθου βασίλεια* coll. 4,1 *οὕτω τῇ πλέων τρίτῃ γε ἡμέρᾳ κατέσχεν, ἵναπερ 'Ηφαιστιῶνί τε καὶ Κρατέρῳ κατὰ τὸ αὐτὸ στρατοπεδεύειν ἐπὶ ταῖς ἀντιπέραν ὄχθαις παρήγγελτο.* alteram igitur illam certe de Sopithe habet opinionem. atque recentiorum Cunningham maxime in hunc Arriani Sopithem quae aliis locis de rege illius nominis audimus contulit I p. 156 sq. atque satis sagaciter p. 157 Plin. Nat hist. VIII, 149 historiam cum Curtii Diodorique Strabonisque nuntiis de Sopithis canibus coniunxit. ibi enim legitur: 'Indiam petenti Alexandro Magno rex Albaniae dono dederat inusitatae magnitudinis unum (canem)'. pro 'Albaniae' Cunningham proposuit scribendum esse 'Labaniae', cum apud Indos 'sal' 'lavana' nominaretur. scimus autem ex Strabone XV p. 700 in regno Sopithis montem fuisse ubi sal fodiatur. iam Plin. Nat. hist. XXXI, 77: 'sunt et montes nativi salis, ut Indis Oromenus, in quo lapicidinarum modo caeditur renascens, maiusque regium vectigal ex eo est

quam ex auro atque margaritis.' vocem 'Oromenos' Cunningham ab Indico Raumaka derivavit 'which according to the Pandits is the name of the salt, brought from the hill country of Ruma'. quamquam addit ipse: 'H. H. Wilson . . . identifies Ruma with Sâmbhar, and as rauma means 'salt', it is probable, that the term may have been applied to the Sâmbhar lake in Rajputana as well as to the Salt Range of hills in the Panjâb'. certe in vocabulo Plinii 'Oromenos' vox Indica 'rauma' latet, sed nihil aliud significat quam 'montem salis' et eodem iure inter Indum et Hydaspem, atque in Rajputana atque inter Beyaḥ et Çatadru hodie nominatos fluvios possis investigare (cf. Lassen I p. 350 adn. 1); cum autem Plinius dicat maius vectigal regi fuisse ex sale quam ex auro, ego montem 'Oromenon' Plinii trans Hyarotim pono. neque enim assentior Cunninhamio, qui Arrianum ut dicit secutus (cuius nuntius de Sopithe sane confirmatur a Strabone XV p. 699), salis illum montem Sopithis solum inter Indum et Hydaspem extitisse putavit. nam omisit, quod Strabo addidit p. 700: *καὶ χρυσεῖα καὶ ἀργυρεῖα οὐ πολὺ ἄπωθεν ἐν ἄλλοις ὄρεσιν ἱστορεῖται κατὰ κτἑ.* iam vero non inter Indum et Hydaspem talia *ἀργυρεῖα καὶ χρυσεῖα* reperiuntur, sed in primis Himalayanis montibus circa fontes Çatadru et Beyaḥ fluvios cf. Droysen II p. 135 adn. 1. quare Droysen l. l. salis illum montem extitisse arbitratus est, ubi hodie Mondi vel Mundi est, cf. Lassen I p. 350 adn. 1. duos igitur habemus ut Sopithes montes quoque salarios. sed canes illi permagni Sopithi trans Hyarotim tribuendi videntur. fortasse enim adhuc illic canes reperiuntur de quibus tam mira rettulerunt Diodorus et Curtius ex Clitarcho, Strabo ex Onesicrito, Plut. de nobil. c. 19, de solertia anim. c. 15 ex Aristobulo. cf. etiam Lassen l. l. Marco quidem Polo, clarissimus ille viator extremi saeculi tertii decimi in Tibet terra canes permagnos invenit, fere ut asinos feros, qui bestiis capiendis assuefacti erant (Marco Polo III, 37). iam Plinius de magnitudine eorum tradiderat VII, 21: maxima in India gignuntur animalia: indicio sunt canes grandiores ceteris. Aristoteles quoque de illis narrat: hist. anim. II, 7: *καὶ οἱ Ἰνδικοὶ δὲ κύνες ἐκ θηρίου τινὸς κυνώδους γεννῶνται καὶ κυνός.* qualis fuerit bestia illa *κυνώδης* apparet ex altero loco VII, 28: *φασὶ δὲ καὶ ἐκ τοῦ τίγριος καὶ κυνὸς γίνεσθαι τοὺς Ἰνδικούς· οὐκ εὐθὺς δέ, ἀλλ' ἐπὶ τῆς τρίτης μίξεως· τὸ γὰρ πρῶτον γεννηθὲν θηριῶδες γένεσθαί φασιν.* quae Plinius VIII, 148 accuratius etiam.

Populus Sopithis vocabatur Gandaridae a Graecis ut supra vidimus, Gandarorum igitur erant progenies. regio erat Kêkaya; sic Indi nominabant, incolas *Κηκεῖς* vel *Κηκέους* (fortasse *Κηκαίους*?) novit Arrianus Ind. 4,8: *τὸν δὲ Σαράγγην ἐκ Κηκέων.* habitabant igitur intra Hyarotim et Beyaḥ superiora flumina (cf. etiam Dunker: Gesch. d. Alt. III, 297. Lefmann l. l. p. 327: die Kecaya Anwohner des oberen Parushni (Iravati, Hyarotidis); Lassen I p. 350 posuit eos trans Hyarotim circa fontes Beyaḥ et Çatadru fluvios. caput Kekayorum in Ramajana carmine Girivraga commemoratur. supra vidimus etiam Gandarorum inter Suastum et Indum habitantium caput fuisse Girivraga. partem Gandarorum ibi fuerunt *Ἀσσακανοί*, quorum nomen de açva = equus (v. etiam Lefmann. p. 745 adn.) derivandum est; iam rex Gandaridarum, noster Sopithes, est 'equorum dominus': Açvapati vel Assapati. quod nomen ut Taxiles, Porus, Assacenus alii fortasse de rege gentis adhibebatur. cf. Lassen. l. l.; ceterum Açvapati rex Kaikejorum commemoratur in Çathapatha - Brahmana et in Ramajana carminibus (cf. Dunker G. d. Alt. II, 297). rex Ajodhjae urbis trans Gangem filiam Açvapati regis in matrimonium duxit. tota illa regio inter superiores fluvios Iravati et Beyaḥ hodie Kângra nominatur 'after its most celebrated fortress' (Cunningh. I p. 136) vel Kâtoch (the meaning of which is unknown Cunn. l. l., fortasse ex illo vocabulo Sopithis illius incolae a nonnullis scriptoribus cum Cathaeis confusi sunt; regia familia regionis Kângra est ex vetustissimis Indiae, auctor eorum erat Gusarma Chandra v. Cunn. p. 138). sed redeamus iam ad alium Arriani Sopithem. non librariorum esse mendum demonstrat Strabo l. l. XV p. 699. quidni revera alter Sopithes in ea regione, quam Arrianus dicit, regnaverit? quidni diversi populi etiam in rege appellando uti poterant eodem nomine? praesertim si populi antiquitus cognati erant. nam etiam ad Hydaspem Gandaros vel Gandaridas habitasse ex urbe eorum Girivraga - Girjhak prope Ialalpur cis Hydaspem concludi licet. cf. praeterea regionem Kâtoch trans

xit.[235]) opulentae erant urbes et magnae et incolae singularibus utebantur moribus.[236]) imprimis pulchritudinis erant studiosi. liberos non parentum arbitrio tollebant alebantque sed eorum, quibus spectandi infantium habitus cura erat publice mandata.[237]) pueri enim nisi apta corporis post alterum mensem forma videbatur necabantur.[238]) nuptiis non coibant[239]), nisi electa corporum specie. luxuriosi etiam erant, cum divites essent[240]); venationi operam dabant nobiles. Huius igitur populi fines Alexander peragrans ad caput regionis venit, Kângra ut videtur, quod ipse Sopithes tenebat cumque appropinquarent Macedones nemo usquam in muro ant ante murum armatus conspiciebatur. portae conclusae videbantur et incolae urbem deseruisse ant insidias aliquas instituisse. quare cautius Alexander exercitum adduxit. neque procul ab urbe erat, cum porta una reclusa Sopithes ipse cum duobus filiis adultis multisque regni sui nobilibus viris ornatu pulcherrimo vesteque amplissima indutus quae etiam crura velabat Alexandro obviam iit. sceptrum aureum beryllis distinctum Alexandro salutans tradidit utque sospes acciperet precatus se liberosque et gentem fidei

---

Hyarotim et urbem Katâksha = Kêtas cis Hydaspem. licet etiam Pororum duorum mentionem facere. fortasse *Ξάθροι*, quos Arrianus commemorat VI, 15,1 eo fere loco habitantes ubi Acesines in Indum influit, eodem nomine appellantur atque *Κάθαιοι* cf. Lassen II p. 167. habemus igitur intra Indum et Hydaspem (et trans Hydaspem) Sopithem eiusque incolas Cathaeos, et inter Hyarotim Hyphasimque fluvios superiores Sopithem alterum eiusque incolas Gandaridas vel Kaikeyos vel Cathaeos, et diversos ab illis Sopithis Cathaeis Cathaeos liberos = Khattia inter Hyarotim et Beyaḥ medios fluvios. inde dubitatio Strabonis l. l. ceterum de Poro illo altero nil iam auditur.

235) narrant haec Curtius atque Diodorus et partim congruit Strabo. videnturque priores ex eodem fonte primo hausisse: Clitarcho. Strabo ex Onesicrito decerpsit cf. XV p. 699,30. cumque Curtius et Diodorus separent Cathaeorum regionem a Sopithe, confundit Strabo Cathaeos cum Sopithe. nam quae de Cathaeis affert XV p. 699 *περὶ τοῦ κάλλους* ex Onesicrito, partim de Sopithe eiusque incolis tradunt Curtius IX, 1,24—27 et Diod. XVII, 92. sane quae de viduis Cathaeorum cum viris mortuis comburendis tradit Diodorus etiam Strabo l. l. de Cathaeis addit *ἴδιον δὲ τῶν Καθαίων καὶ τοῦτο ἱστορεῖται* (vox postrema indicat ex alio scriptore ea quae antecedunt esse hausta); quamquam in hac re differt ab Diodoro, quod de nuptiis Cathaeorum, Diodorus de Sopithis incolis refert fortasse rectius. ceterum etiam Arriani auctor alter Aristobulus de Sopithe intra Hyarotim et Hyphasim fluvios habitante videtur rettulisse. certe Plut. de nob. c. 19 narrat Aristobulum scripsisse *Ἰνδικοὺς κύνας δῶρον πεμφθέντας Ἀλεξάνδρῳ . . . πρὸς μὲν τοὺς ἀγρίους ταύρους καὶ ὀρεῖς ἀδμήτους προβαλλομένους ἀκινήτους κατακεῖσθαι, πρὸς δὲ τὸν εἰσηγμένον λεόντα ἐκθορήσαντας εἰς μάχην ἐπερρίφθαι* (cf. Diod. XVII, 92. Plin. VIII, 149).

236) Lassen II p. 170 magis hos nuntios ad Cathaeos referendos esse existimavit: cuius tamen rationes mihi non sufficiunt, ut diffidam Diodoro, claris verbis de Sopithis populo referenti. neque obliviscendum, Sopithis incolas fuisse Cathaeis vicinos, quorum facile mores poterant imitari.

237) cf. Curt. IX, 1,25.

238) cf. Strabo XV p. 699,30 Diod. XVII, 91,5 Curt. IX, 1,25. quod praeterea narrat Strabo: *βασιλέα τε γὰρ τὸν κάλλιστον αἱρεῖσθαί φησιν Ὀνησίκριτος* vix de Sopithis populo dici posse videtur. recte fortasse hac de re iudicavit Lassen quem videas quaeso II p. 171.

239) cf. Curt. IX, 1,26. Diod. XVII, 91,6.

240) vide enim quo ornatu incedit Sopithes ipse apud Curtium.

illius commisit. facile eum Alexander recepit inque regno porro regem esse passus est. atque grato animo aliquos per dies totum exercitum epulis excepit opulentis, Alexandro ipsi cum alia multa donavit pretiosa tum canes duos[241]) magnitudine viribusque ceterisque canum virtutibus excellentes tamque feros ut tigrium sanguinem in venis fluere dicerent. quorum cum virtutem Sopithes Macedoni vellet monstrare, in locum circumsaeptum leonem adultum compulit atque canum, quos omnino quattuor habuit, duos in eum immisit, qui cum domarentur ab leone, alteros duos prioribus adiunxit atque hi tam acriter iam in lenonem invecti sunt, ut unus eorum ferro sibi crus concidi passus sit, priusquam ab leone recederet.[242])

Eodem fere tempore ab Hydaspe advenerunt Craterus Coenusque[243]), venit etiam Hephaestion cum militibus suis Pori alterius subacta regione tota aliaque circumcirca sita. quem postea, paullo ante quam ipse ab Hyphasi reversus ad Hydaspem regrederetur Alexander remisit ut urbem[244]) muniret, quae viam trans Acesinem ducentem, qua ipse antea usus erat, tuebatur. ipse tum in Phegei[245]) movit regnum

---

241) centum et quinquaginta numerant Strabo XV, 700 et Diodorus XVII, 92. de quattuor solis refert Curtius, de dono oblatis tacet. ex his quattuor unus interfectus est, vide Curt. coll. Diodoro et Strabone; restant tres. quare rectius fortasse Plinius VIII, 649: 'Indiam petenti Alexandro Magno rex Albaniae (h. e. Sopithes rex montis salarii) dono dederat (h. e. cum Alexander in urbe eius esset) inusitatae magnitudinis unum. qui cum minores bestias contemneret, rex iratus eum interimi iussit' (hoc factum est, cum iam ex Sopithis regno profectus esset). 'nuntiavit hoc fama regi. itaque alterum mittens addidit mandata, ne in parvis experiri vellet sed in leone elephantove. duos sibi fuisse, hoc interempto praeterea nullum fore'. (tertius fortasse a leone consumptus erat cf. Strabo: *κρατουμένων δ' αὐτῶν*). iam Plut. in vita Alex. c. 61 fin. narrat: *λέγεται δὲ καὶ κύνα, Περίταν ὄνομα τεθραμμένον ὑπ' αὐτοῦ καὶ στεργόμενον ἀποβαλὼν κτίσαι πόλιν ἐπώνυμον. τοῦτο δὲ Σωτίων φησὶ Ποτάμωνος ἀκοῦσαι τοῦ Λεσβίου.* in voce *Περίταν* vocabulum graecum latere puto *περιττός* ut sit *Περίταν* idem quod ingens, Riese germanice, quod optime quadraret in canum ingentem Indicum, quem dono a Sopithe acceperat Alexander teste Plinio. nimium igitur mentitus est auctor Diodori et Strabonis.

242) cf. Diod. XVII, 92,1 sq. Strab. XV p. 700,31. Curt. IX, 1,32. canes donatos esse Alexandro Aristobulum quoque litteris mandasse (cf. Plut. de nob. c. 19) supra iam monui.

243) de Hephaestione solo rettulit Curtius IX, 1,35; sed verisimile est tum etiam Craterum Coenumque advenisse. Coenus certe multa ad Hyphasim verba facit.

244) Arrianus qui Sopithem et Phegea omisit, tacuit etiam de Hephaestione adducente. urbem ad Acesinem ab Hephaestione instauratam ignorant Diodorus Curtiusque, nisi re vera putas eos Bucephala Nicaeamque urbes ad Acesinis fluvii ripas conditas esse sumpsisse. ceterum num urbs illa in propinquitate Vezirabad nostratium urbis fuerit sita, quod arbitrantur Droysen II p. 167 adn. 2; Lassen II p. 174,1; Hertzberg II p. 274, valde licet addubitare. nam eadem via qua ad Hyphasim progressus erat, ad Hydaspem, certe ad Acesinem rediit cf. Diod. XVII, 95,3. a Glausarum autem regione, a Bember urbe venientem Alexandrum Vezirabad urbem vel regionem tetigisse negandum est. fortasse urbs Sodra est *Ἀλεξάνδρεια* ad Acesinem.

245) num Phegeus et Beyah voces ex eadem radice Indica derivatae essent dubium videbatur Lassenio II p. 171 adn. 1. sed Elphinstone l. s. l. II p. 560

infra Kângra prope Hyphasim situm. qui populares iussit agros colere negotiisque uti quemadmodum solerent, cum ipse nobilibus comitantibus Alexandro occurreret, dona seque regnumque tradens.[246]) atque hunc quoque qui bene ipsum exercitumque excepit, in regno confirmat Alexander, cum ad Hyphasis fluvii locum regrederetur, ubi antea iam fuerat prope Gurdaspur urbem. ibi enim via trans Hyphasim et Hesydrum ducebat ad flumina Iamunam et Gangem. ibi transire statuit, cum nullus belli ei appareret finis dum hostile aliquid reliquum erat.[247]) et ex Phegeo quae noscenda erant exquisiverat: opulentam esse regionem trans Hyphasim sitam[248]), longum tamen per eam esse iter ad Gangem totius Indiae amnem profundissimum. transgressum excepturos esse iam Praesios[249]) et Gandaridas[250]) horum-

---

fluvium commemorat Begas-Ganga, qui cum Ban-Ganga infra Haripur urbem congressus Beyah flumen formet. Begas et Phegeus mea quidem sententia idem vocabulum. ac si Beyah qui a nonnullis Beyass vocatur, e fluviis duobus formatur, quorum unus Begas appellatur, mihi quidem certum videtur, esse idem nomen Begas et Beyass. erat igitur Phegei regnum circa superiorem Hyphasim fluvium vel Begas-Ganga. quod nomen regis et fluvii congruit: supra cognovimus principem Cophaeum aperte de flumine Cophete dictum esse; ipse conieci Alishang fluvii nomen de magni Alexandri nomine esse derivatum.

246) Diodorus XVII, 93,1 Phegeum duos per dies epulis totum excepisse dicit exercitum: cum Curtius taceat de tali convivio narretque tantum IX, 2,1 biduum apud eum substitisse Alexandrum, Diodorus atque adeo auctor eius finxit fortasse hunc nuntium secundum prioris regis Sopithis epulationem.

247) cf. Arr. V, 24,8 fin.

248) ita Arrianus V, 25,1 tradidit. ut Curtius IX, 2,2, 'XI dierum ultra flumen per vastas solitudines iter esse' ex Phegeo Alexander audiverat. Diod. XVII, 93,2 servat XII dies; fortasse etiam apud Curtium corrigendum; nam ex eodem auctore haec sumpserunt, ut etiam apud Diodorum περὶ τῆς χώρας τῆς πέραν τοῦ Ἰνδοῦ ποταμοῦ facile Ἰνδοῦ docti grammatici interpolationem cognoscas. sunt quidem hodie quoque vastae illae solitudines ultra Indum et ultra Hyphasim et Hesydrum fluvios coniunctos vel inferiores, atque cognoverat fortasse Alexander de vastis illis solitudinibus, non tamen peragrandas sibi esse si ad Gangem penetrare vellet. sin a Gurdaspur ad inferiorem Indum recta via procedere in animo habuit, in medio itinere superandae erant illae solitudines. num talis consilii quasi recordatio obscura nuntius noster Curtii atque Diodori fuerit? tum sane Ἰνδοῦ non additum sed πέραν τοῦ Ἰνδοῦ ποταμοῦ e regione scriptoris graeci dictum esset. utut est, de terra trans Hyphasim superiorem sita Arriano maiorem habeamus fidem necesse est. nam revera fertilissima est regio inter Hyphasim et Hesydrum fluvios nondum commissos.

249) de Praesiis vel Prasiis (indice Prâkja, incolae orientalis terrae trans Iamûnam et Gangem confluentes sitae) cf. Lefmann l. l. p. 327; 757 Kaerst I p. 356 adn. 1.

250) satis dubium est, utrum rectius Diodorus XVII, 93sq. Plut. vit. Alex. c. 62 Gan*d*aridas commemorent, an Curtius IX, 2,3 Iustin XII, 8 Gan*g*aridas. Gandaros illo tempore inter Suastum et Indum, porro cis et trans Hydaspem inferiorem, denique Gandaridas trans Hyarotim habitasse supra cognovimus. fortasse Gan*d*aridae etiam ad Gangem exstitere; sed nescimus. Gangaridae propter Gan*g*em possunt vocati esse. ceterum rem auxit Iustinus l. l., si Alexandrum praeter Arestas et Gesteanos (pro quibus aut Gegeani aut Ceceani = Κηκαῖοι legendi et intellegendi sunt) Praesidas (Praesios) et Gangaridas victos esse tradit. quod praeterea Cuphites commemorat (trans Gangem aperte habitantes) aut errat aut fulcit sententiam meam de Gan*d*aridis: cum vox Cuphites cohaeret cum Cophete vel Cophaeo fluvio, cuius ad ripas Gandarae habitasse

que regem Xandramem[251]) cum equitum viginti millibus, peditum ducentis, curruum duobus, elephantorum denique bellice ornatorum institutorumque tribus. cui talia narranti vix fidem habuit Alexander, sed omnia Porus ex liberis Indis iam reversus confirmavit, et regnum usurpasse Xandramis patrem[252]), tonsorem olim, sed ob formam satis pulchram a regina priore amatum et rege antecessore ab illa interfecto ipsum regem factum. quare Xandramem ipsum non magni aestimari a suis civibus.[253]) sed Alexandrum neque vastum spatium neque Indorum populi potentissimi perterruerunt ne trans Hyphasim progrederetur. sperabat etiam facile sibi Praesios et Gandaridas accessuros esse, cum regem eis in odio esse sciret et propter pravitatem et ignobilitatem in contemptione.[254]) sed iam ipsi milites rebellaverunt Macedones neque amplius se progressuros esse confirmaverunt. octo fere annos regem secuti erant[255]), omnesque belli labores omnia pericula patienter tulerant; nunc animi defessi et imbribus continuis viisque plurimam partem aviis corpora defatigata erant et confecta. multi milites Macedones in pugnis aut in itinere conciderant neque umquam belli finis exspectabatur. cognoverant etiam Indos non eadem opera facili posse vinci atque Persas Medosque[256]), et paene desperabant auditis quae de populis trans Gangem narrabantur. septua-

---

scimus; de affinitate regis Gandaridarum Açvapati-Sopeithis cum rege Ajodhjae urbis trans Gangem supra admonui. illis temporibus fortasse pars parva populi Gandaridarum trans Gangem migraverat.

251) Diodorum in nominando rege sequor XVII, 93,2. Curtii codices IX, 2,3 praebent Aggrammem vel Agramem. fortasse apud illum vox depravata est librariorum culpa. nam etiam quod de Xandramis copiis narrat consentit cum Diodoro XVII, 93,2, excepto quod hic *τετρακισχιλίους* elephantos Xandramis numeravit, qui tamen numerus ex Curtio IX, 2,4; 2,20 videtur corrigendus esse. maiores etiam numeros habet Plutarchus vit. Al. c. 62: LXXX millia equitum, CC millia peditum VIII millia curruum, elephantorum VI millia. Iustinus denique XII, 8 Cuphites Alexandrum ducentis millibus equitum oppertos esse narrat; ubi certe corrigendum est peditum.

252) inde videtur fama repetenda esse Pori ipsius patrem fuisse tonsorem cf. Hellad. Chrestom. apud Photium 530 u. 35. cui ne minimam fidem habere debuit Droysen II p. 149.

253) ita Diodori *εὐτελῆ καὶ ἄδοξον* interpretor.

254) cf. Plut. v. Al. c. 62, qui Sandracottum (Çandragupta) narrat dixisse saepius, sine magno labore potuisse regionem trans Gangem sitam expugnare Alexandrum de caussis in narratione a me allatis.

255) quae caussae Alexandri milites commoverint ut contra regem rebellarent fusius Droysen exposuit l. l. II p. 160sq. ut satis habeam eadem repetere. quod Ritterus olim putavit non potuisse Alexandrum progredi propter imbres omnia superfundentes, nimium certe dixit. sane Diod. XVII, 94,3 narravit *κατὰ τύχην δὲ καὶ χειμῶνες ἄγριοι κατερράγησαν ἐφ' ἡμέρας ἑβδομήκοντα καὶ βρονταὶ συνεχεῖς καὶ κεραυνοὶ κατέσκηπτον*, ut exercitus quamquam non in planitie (excepta expeditione in Cathaeos) sed in montanis regionibus processit (cf. Strabo XV, 700; 32) satis male imbribus videatur affectus esse. sed nusquam refertur non potuisse eum prae imbribus procedere. de aliis erroribus criticorum novorum cf. Kaerst. l. l. I p. 365 adn. 2.

256) cf. Plut. Al. c. 62: *τοὺς μέντοι Μακεδόνας ὁ πρὸς Πῶρον ἀγὼν ἀμβλυτέρους ἐποίησε καὶ τοῦ πρόσω τῆς Ἰνδικῆς ἔτι προελθεῖν ἐπέσχε.*

ginta iam dies ferae tempestates fulgura tonitrus et terrebant animos et corpora frangebant. arma plurimis trita erant neque solum arma, sed omnia quae induebant, ut barbarica veste uterentur, Indorum conscissis mantelis.[257]) quam militum condicionem miseram ne Alexander quidem praetervidit, sed qua erat animi magnitudine ipse, eadem milites suos esse putavit. audiverat autem non facile posse eos adduci ut se trans Hyphasim sequerentur.[258]) conventus agere in castris Macedones sociosque[259]) deplorantes partim fortunam, partim insolentius hac quidem in re negantes vel Alexandro duci se esse obtemperaturos.

Quare singularum legionum duces cum militibus voluit agere iisque persuadere ut porro irent. convocavit igitur legionum duces, et Macedones et socios[260]), exposuitque quam sine causa metuerent hostes trans Gangem habitantes. semper res veras augeri fama. eadem fere olim de Asia Aegypto Perside Media Indiaque ipsa esse narrata; quas nunc omnes terras in suam redegissent potestatem. nullum viro certe generoso finem esse laborum, quam labores ipsos quot quidem ad gloriam ducerent. neque multum Asiae restare invictum. facili itinere se Macedones sociosque perducturum ad mare orientale, quod cum Hyrcanio cohaerere se demonstraturum, conexum autem esse Indicum cum Persico. inde se Libyam circumvecturum usque ad Herculis columnas totamque Macedonum se subditurum arbitrio, ut fines regni essent, quos ipse deus posuisset, terram Oceano cingens. nunc si revertimus, multae trans Hyphasim inquit relinquuntur gentes bellicosissimae, multae etiam septentrionales usque ad mare Hyrcanium, atque timendum, si redeamus, etiam ea quae iam subegimus nondum prorsus pacata et subdita ab invictis illis ad defectionem ne incitentur. tum certe tota opera nostra frustra esset consumpta. multo autem maiorem afferri et semper manentem gloriam Macedonibus, si terram cognitam totam tenerent subactam, quam si Thraces finitimos aut Illyrios aut Triballos aut Graecorum infestos debellare conarentur. denique si ipse dux nullum laborem nullum subiret periculum, merito animis deficerent, sed et labores sibi communes esse cum illis et praemia in medio omnibus iacere. Asia vero summissa tota non modo exspectationes singulorum ses› expleturum esse

---

257) cf. Diod. XVII, 94,1 sq.

258) solus Diodorus l. l. 3 nimis mire hoc tradidit: militum benevolentiam Alexandrum capere voluisse beneficiis. dimisisse eos ut secundum fluvium progredientes praedam quantam vellent agerent; interea mulieres liberosque coegisse militum et prioribus frumentum iussisse dari in mensem, posterioribus pro parentum stipendio pecuniam donari.

259) hos solos restitisse voluntati Alexandri ex Arriano apparet cf. V, 25,2; 3. 28,3, et Droysen l. l. II p. 157 adn. 1.

260) exercitum totum allocutum esse Alexandrum Diodorus et Curtius dicunt. fidem maiorem Arriano habendam esse duco. cf. Droysen II p. 159.

sed superaturum. tum demum reverti cupientes aut ipse, inquit, reducam aut remittam; si qui manserint, invidiosi faciam sint illis qui discesserint.[261])

Quae cum dixisset Alexander silebant omnes. neque enim confestim obloqui audebant regi neque assentiri volebant. atque Alexander iterum iterumque monuit ut contrariam sibi si quis sententiam profiteretur diceret. tandem Coenus Polemocratis filius haec fere ausus est respondere: verba se iam facturum non pro se ceterisque legionum ducibus, sed pro toto exercitu. neque tamen dicturum se quae illis grata essent, sed quae ipsi regi in praesentia rerum utilia, in posterum tuta forent. prohiberi autem quominus celaret quae maxime expedire viderentur et aetate et dignitate prae ceteris ab Alexandro accepta et virtute in multis iam monstrata periculis. hoc igitur primum se obloqui Alexandro: finem faciendum esse laborum militibus. ex magna Macedonum et Graecorum olim secutorum multitudine quam paucos relictos esse! Thessalos cum ad perferendos labores non iam alacres satis esse viderentur Bactris domum et recte quidem dimissos esse. ceteros Graecos partim in urbibus nove conditis aut munitis, ne hos quidem libenter remanentes, constitutos esse[262]) partim in pugnis cecidisse aut postea ex vulneribus sive bello inutiles factos alios Asiae locis aliis relictos sive mortuos esse, ut non multi iam regem comitarentur, corporibus hi quoque satis fracti. quibus omnibus parentum liberorum uxorum patriae magnum inesse merensque veniam desiderium. ne invitos vero duceret: nam alios iam esse, quibus deesset pugnandi et alacritas et voluntas. in patriam reverteretur componeretque Graecorum res, reportaretque victorias suas magnas multasque ipse patriae; et tum parato novo exercitu moveret si vellet ad illas trans Gangem habitantes nationes, vel in Pontum Euxinum vel in Carthaginienses regionemve ultra Carthaginem sitam. secuturos autem Macedones reliquosque Graecos iuniores pro senioribus, integros pro defatigatis, alacres ad bellum gerendum pro animo fractis. ac libentius etiam eos comites futuros esse Alexandro cum veteres milites domum reversos cernerent, divites factos ex pauperibus, claros ex obscuris. hoc denique iussit regem cogitare: fortunam a nemine posse contineri neque servari neque defendi.

Haec Coeni verba circumstantium strepitus atque clamor secutus est, multis lacrimae exciderunt de oculis, quod magis etiam potuit indicare

261) talia Alexandri verba Arrianus tradidit, atque haec quidem — quamquam nonnulla ipse composuit — non ipse conficiens, sed ex auctoribus derivans cf. V, 28,4. Droysen p. 410—412. apta autem sunt et Alexandro animo omnia appetenti comprehendentique, et poterat sperare rex, talibus verbis Macedonum inflammaturum se virtutem. vide etiam Lezium p. 50 contra Droysen p. 164 et de orationibus et ab Arriano et a Curtio servatis p. 126—128.

262) ex hac Arriani (V, 27,5) narratione liceat concludi, non Macedones sed Graecos tantum in urbibus esse relictos; nam tacet omnino de Macedonibus Arrianus.

quam non libenter pericula ulteriora adituri essent, quamque libenter regressuri. tamen tum Alexander Coeni loquendi libertate et reliquorum ducum segnitia quae ei videbatur iratus contionem dimisit. postero die rursus eisdem cum ira convocatis exposuit, se ipsum porro moturum esse, Macedonum neminem invitum debere sequi; affuturos autem se sperare, qui regem suum sua sponte comitarentur. ceteris licere domum abire, ubi nuntiarent, regem inter medios hostes relictum esse ab ipsis. iam se in tabernaculum suum recepit neque amicorum quemquam per tres dies admisit exspectans si qua animorum mutatio, quae saepe in militum turba solet fieri, Macedonibus sociisque incideret, ut facilius sibi persuaderi paterentur. cum tamen magnum esset in castris silentium et milites ira Alexandri valde commoti quidem esse neque tamen animi mutati apparerent, nihilominus pro transitu sacrificavit.[263]) sacra vero cum infelicem indicarent eventum, tum demum amicorum et natu maximos et intimos familiaritate convocavit nuntiavitque, quoniam omnia reditum postularent statutum sibi esse domum reverti. quod vix audierunt milites, cum clamorem ingentem tollebant, qualem turba laeta solet edere: alii lacrimaverunt, alii ad regium tabernaculum aggressi omnia bona Alexandro precata sunt, quod semper invictus a militibus solis vinci se passus esset. sed priusquam rediit, divisum in agmina exercitum[264]) duodecim aras ex quadrato saxo[265]) altitudine maximis pares turribus[266]), latitudine etiam

---

263) litteris hoc mandavit Ptolemaeus apud Arrianum V, 28,4. Strabo XV p. 697 fin. dixit *μαντείοις* Alexandrum commotum esse ne porro duceret. Kaerst. l. l. p. 366 adn. 3 cum scribit: Der ungünstige Ausfall der Opfer bot jedenfalls mehr einen Vorwand für sein Nachgeben, als den bestimmenden Grund für die Umkehr, fortasse nimium dixit. cf. enim similem condicionem atque ita similem ut aras quoque ad Alexandream Sogdianes ad Tanaim quem ipse Iaxartem nominat exstructas esse sciat Plinius VI, 49: 'Arae ibi sunt ab Hercule ac Libero patre constitutae, idem Cyro et Samiramide atque Alexandro.' de quibus Arrian IV, 4,1 nil nisi haec: *Αὐτὸς δὲ τὴν πόλιν . . . τειχίσας . . . θύσας τοῖς θεοῖς ὡς νόμος αὐτῷ καὶ ἀγῶνα ἱππικόν τε ποιήσας κτἑ.*) ad Tanaim-Iaxartem bis pro transitu Alexander sacrificavit; bis *τὰ ἱερὰ ἐπὶ τῇ διαβάσει οὐκ ἐγίγνετο* h. e. opportuna non erant, ut Aristander vaticinatus est. tamen Alexander transiit; vicit quidem Scythas sed propter morbum (*Ἀλεξάνδρῳ τὸ σῶμα ἔκαμε*) non plane persequi potuit et in sua castra se refert: *καὶ οὕτω ξυνέβη ἡ μαντεία Ἀριστάνδρῳ.* quaere ad Hyphasim re vera *τοῖς μαντείοις* quoque commotus esse videtur ne porro iret.

264) has Arriani V, 29,1 *τάξεις* non licet confundere cum legionibus peditum. atque miror, quomodo de his cogitare potuerint Lassen II p. 173 cf. Droysen II p. 166 adn. 1. totum exercitum in agmina divisit, non modo pedites Macedonum vel Graecorum. ac videntur duodecim agmina fuisse ad aras exstruendas quae accederent singula. cf. etiam Lezium p. 52 adn. 1

265) ita Curtius ut videtur recte. nam si aliquantum temporis illa monumenta (v. Plut. v. Al. c. 62 fin.) 'celeberrima atque intacta' fuerunt — sunt verba Lezii — verisimile est ea fuisse diligentissime exstructa (aliter iudicavit Lez. p. 52 adn. 1), atque Alexander certe ad aedificanda ea simulque ut exercitum recrearet non paullum temporis ad Hyphasim moratus est.

266) Diodorus XVII, 95,1 quinquaginta cubita altas fuisse refert, vix recte. ut minorem in hac re ei habeamus fidem monent etiam quae sequuntur. certe

maiores, ad quas Graecorum duodecim di a multitudine militum coli possent, aedificari iussit.[267]) nam et grates dis agere voluit, quod ad

congruunt fere cum Curtii nuntiis, partim cum Plutarcho, partim cum Iustino, sed tam mira sunt, ut mentitos esse omnes talia nuntiantes atque adeo auctores primos facile putemus. atque putavit Arrianus, qui nihil nisi de aris ingentibus rettulit. nihil igitur aliud Ptolemaeus aut Aristobulus narraverant. sed afferam singula: Diodorus XVII, 95,1 praeter duodecim aras triplicia solitis castra munivisse Alexandrum nuntiavit. haec cinxisse eum fossa quinquaginta pedes lata quadraginta alta. aggerem intra fossam ingentem reddidisse murum; peditibus ut singulis duo cubilia quinque cubita longa exstruerent imperasse, equitibus ut praeter haec etiam duo praesaepia solitis duplicia relinquerent mandasse. similiter alia quoque quae ibi relinquerentur iussisse reddi maiora quam quae ad humanum usum facta esse viderentur. nam apud posteros non homines fuisse. Macedones voluit credi, sed heroes, corporum viribus prae ceteris excellentes. Curtius IX, 3,19 et deorum XII aras novit et castrorum munimenta extensa et cubilia ampliora; ignorat praesaepia. Plut. v. Al. c. 62 de aris refert *οὓς μέχρι νῦν οἱ Πραισίων βασιλεῖς διαβαίνοντες σέβονται καὶ θύουσιν Ἑλληνικὰς θυσίας*; valde dubium num *μέχρι νῦν* de Plutarchi aetate sumendum sit. excerpsit sua fortasse ex Megasthene cf. Arrian. Ind. 5,3. de castris magnis tacet Plutarchus, sed arma, equorum praesaepia maiora, frena graviora scit illic esse relicta. de solis castris extensis loquitur Iustinus XII, 8. habes igitur omisso Arriano quattuor narrationes diversas, quarum quae prima fuerit vix operae pretium est investigare.

267) Plinius solus Nat. hist. VI, 21 Hyphasi Alexandrum transmisso aras in ripa adversa (sinistra) dedicasse rettulit. addidit: 'epistulae quoque regis consentiunt his.' quid de illis epistulis regis iudicandum esset, supra iam indicavi. vocabulum autem 'tamen' prodit extrema non a Diogneto et Baetone itinerum Alexandri mensoribus tradita esse. adiunxit Plinius vel auctor eius ex alio fonte, fortasse ex Megasthene cf. Schwanbeck: Megasth. Indica p. 17. ex eodem alter Plinii nuntius XII, 24: 'arbori nomen palae, pomo arienae; plurima est in Sydracis, expeditionum Alexandri termino.' de Oxydracis omnino cogitari non posse, quod Cunningh. I p. 217 putavit, manifestum est. sunt enim Sydraci Sydri (Plin. VI, 63) fluvii accolae. habitabant inter Hyphasim et Hesydrum. usque ad eos Alexander si venit, superavit Hyphasim. sumpsit igitur hoc Plinius vel auctor Megasthenes. Congruit cum his Plut. l. l. c. 62 fin. *ἱδρύσατο δὲ βωμοὺς θεῶν, οὓς μέχρι νῦν οἱ Πραισίων βασιλεῖς διαβαίνοντες σέβονται κτέ*. si arae in dextra ripa Plutarcho teste (vel auctore Megasthene) exstructae fuissent, certe scripsisset: *διαβάντες σέβονται*. tamen aut erravit Megasthenes aut errare voluit. non afferam, Strabonem XV p. 700 fin. scribere: *Ἀλέξανδρος ἀφεὶς τὰ πρὸς ἕω μέρη πρῶτον μὲν διὰ τὸ κωλυθῆναι διαβῆναι τὸν Ὕπανιν*. non dicam tacere et Curtium et Diodorum de Hyphasi transmisso, quamquam sciunt eum fuisse propter saxa *δυσδιάβατον*. sed Arrianus vel auctor eius praecipuus in his rebus militaribus Ptolemaeus, qui accuratissime rettulit de singulis fluviis traiectis, certe non tacuisset si Hyphasim Alexander transmisisset etsi fecisset tantum ut aras exstrueret (cf. V, 28,4). nuperrime Kaerst. l. l. p. 366 aras in sinistra ripa collocatas putat ut Cunningham quoque I p. 217 sq. cautius iudicat Lefmann p. 750 adn.: Die sogenannten Arae Alexandri ans jenseitige Vipâçâufer verlegen wollen oder gar bestimmt gelegen annehmen . . . ist nach allem noch gewagt. ceterum ne quidquam omittamus, alios quoque nuntios de loco quo Alexander tum pervenerit servatos afferamus. Strabo XV p. 702,35 narrat Crateri in lucem editam esse epistolam ad Aristopatram matrem alia mira ubi inessent neque ab ullo scriptore relata et ad Gangem venisse Alexandrum. ipsum Craterum se fluvium illum vidisse. (quae deinde sequuntur *καὶ κήτη κτέ* non iam sunt Crateri, ut tota explicatio inde ab *ὅτι μὲν γὰρ μέγιστος κτέ*. indicat). iam supra dixi Alexandrum venisse ad eam partem Hyphasis fluvii, ubi ille confluit ex Begas-Ganga et Ban-Ganga fluviolis. posterius nomen quod 'flumen' significat, Craterus fortasse ab incolis illarum regionum audiens praecipuum nomen sumpsit, nisi mavis totam illam 'epistulam Crateri' fictam

talem gloriam victorem semper se adduxissent, et ipsius laborum monumenta posteris miranda relinquere in animo habuit. atque in aris exstructis cum solito more sacrificasset ludosque gymnicos et equestres instituisset totamque regionem ad Hyphasim usque Poro subdidisset[268]) eadem fere via qua progressus erat circa Calendas Sextiles ad Hydaspem revertit.[269])

---

esse. novisse eam videtur Diodori auctor II, 37,3: *καταντήσας γὰρ ἐπὶ τὸν Γάγγην ποταμὸν μετὰ πάσης δυνάμεως* et Plut. v. Al. c. 62 non de Hyphasi omnino sed neglegenter de Gange magno refert: *ἀντέστησαν (οἱ στρατιῶται) ἰσχυρῶς Ἀλεξάνδρῳ βιαζομένῳ καὶ τὸν Γάγγην περάσαι ποταμόν . . . εἰ μὴ περάσειε τὸν Γάγγην.* superat eos etiam Trogi Pompei auctor (Iustin. XII, 8) quod narrat Praesidas et Gangaridas ab Alexandro esse victos: iam cum Cuphites eum exspectassent milites porro ire recusavisse. denique apud Pseudocall. III, 7 Palladius haec dixit: *διήγημα δὲ φέρεται Ἀλεξάνδρου τοῦ τῶν Μακεδόνων βασιλέως διηγησαμένου ποσῶς τὸν βιόν αὐτῶν. κἀκείνῳ δὲ τάχα ὑπῆρχε ὡς ἐκ παρακούσματος· οὔτε γὰρ αὐτὸς ὡς οἶμαι τὸν Γάγγην ἐπεραιώθη, ἀλλ' ἄχρι τῆς Σηρικῆς ἔφθασεν, ἔνθα οἱ Σῆρες τὸ μέταξον τίκτουσι κἀκεῖ λιθίνην στήλην στήσας ἐπέγραψεν. Ἀλέξανδρος ὁ Μακεδόνων βασιλεὺς ἔφθασα μέχρι τούτου τοῦ τόπου.* Suidas s. v. *Βράχμανες* ex Palladio nonnulla excerpens talem inscriptionem refert: *ἐγὼ μέγας Ἀλέξανδρος βασιλεὺς ἔφθασα μέχρι τούτου.* tres habes igitur traditiones fabulosas. luce clarius est talibus nuntiis nullum habendam esse fidem.

268) ita Arrianus claris verbis narrat V, 29,2; quamquam ille de Sopithis prioris Phegeique regnis tacet, tamen ea Pori potestati subiecta fuisse putabimus. aliter iudicaverunt sane Droysen II p. 164 (Lassen II p. 175 adn. 2) Hertzberg II p. 293. sed quidni Poro illa certe non ita magna regna Alexander subiunxerit? qui Abhisari quidem satrapae Arsacem eiusque regnum subdidit cf. Arr. V, 29,5.

269) cf. Diod. XVII, 95,3 *ταῖς αὐταῖς ὁδοῖς πορευθείς.* Iust. XII, 8: via eadem rediit. quibus qua de re hoc loco fidem derogemus nescio. idem fortasse Curtius IX, 3,20 voluit dicere cum scripsit: 'hinc repetens quae emensus erat'. Arrianus nil tradidit de via qua revertens usus sit Alexander. ac veniunt ad regem cum ad Acesinem castra posuisset legati Abhisaris; quos ut Alexandrum convenirent verisimile est eadem via processisse, qua antea rex ipse duxerat.

sed quo tempore revertit rex? Diodorus tradidit XVII, 94,3 continuos imbres per septuaginta dies adhuc militibus molestos fuisse. Aristobulus apud Strabonem XV p. 691,17 rettulit: *ἐν δὲ τοῖς Ταξίλοις πρῶτον ὑσθῆναι· καὶ ἐπειδὴ καταβᾶσιν ἐπὶ τὸν Ὑδάσπην καὶ νικήσας Πῶρον ὁδὸς ἦν ἐπὶ τὸν Ὕπανιν πρὸς ἕω . . . ὕεσθαι συνεχῶς. ἐπιτείλαντος δ' Ἀρκτούρου* (paucis diebus ante Idus Septembres) *γενέσθαι παῦλαν.* exeunte fere mense Aprili Taxilis profectum esse Alexandrum supra vidimus. paullo post Idus Maias pugna facta est Pori; *κατὰ θερινὰς τροπὰς* ad Acesinem considebat (ut videtur in sinistra ripa Acesinis cf. Strabo XV, 692 *κατὰ τὴν ἀνάβασιν*); inde si numeramus duodecim dies ad Sangala expugnata, duos dies ad Gurdaspur, tres ad Kângra urbes, ibi duos dies refectionis, postea tres vel quattuor dies regressus ad Phegea et prope Gurdaspur ad ipsum Hyphasim, fiunt XXIII fere dies, quos si adnumeramus ad solstitium aestivum, eveniunt fere Idus Iuliae; si inde detrahas septuaginta Diodori illos dies, revenias ad Nonas fere Maias. ac re vera iam ante pugnam magnos imbres de caelo cecidisse scimus. circa Idus Iulias igitur aut certe non multis diebus post ad Hyphasim Alexander constitisse putandus est. porro si addis praeter tres illos dies orationum et irae regiae nonnullos dies ad perficiendas duodecim illas aras, unum ad celebranda sacrificia extremo mense Iulio vel ineunto mense Augusto. rediit ab Hyphasi atque, commoratus fortasse nonnullos dies ad Acesinem, circa Idus Augustales ad Hydaspem revenit.

De Alexandri Magni expeditione Indica.

FASC. III.

Ab Hyphasi regressus Alexander itinere celeriter confecto — nisi enim imbribus frequentibus milites impediti non erant — traiectoque Hyaroti amne ad Acesinem venit. atque eo loco, ubi antea flumen superaverat, inter urbes Sialkot et Ialalpur, urbem ab Hephaestione quem iusserat munitam repperit. videtur autem urbs illa Alexandria inde nominata esse.[270]) deduxit in eam colonos ex accolis quot vellent, et mercenariorum bello inutiles. ipse cum non eadem via qua in Indiam venerat vellet redire sed Hydaspe, Acesine, Indo fluviis secundis in mare Indicum navigare, — potuit autem de tali expeditione cogitare iam cum milites eum ab Hyphasi redire cogerent[271]), — tum

---

270) videtur enim ea esse, quae Steph. Byz. s. v. Alexandria commemorat: *Ἀλεξάνδρεια πάλιν Ἰνδικῆς.* v. adn. 185 et 244.

271) Droysen II p. 147, Hertzberg II p. 271 alii (cf. etiam Lezium l. l. p. 42 et appendicem XXII) arbitrantur Alexandrum iam tum cum ab Hydaspe in regionem orientalem moveret, proposuisse sibi, ut tota India subacta — certe ea quae ad septentriones vergit — in mare Indicum decurreret. atque sane Diodorus XII, 89, 4 (cf. auctorem anonymum epit. Alex. M. Mac. rer. gest. Mettensis II, 63 J. f. kl. Ph. 26. Suppl. p. 106) talia tradit, quae Droysen l. l. reddidit, pulchra verba, sed vera? ne hoc omittam, etiam Curtius IX, 1, 3 sq. similia narrat. Strabo refert de silva ad Hydaspem sita ibique classem aedificatam esse, sed non tradit, utrum rediens demum Alexander an iam antea iusserit eam extrui XV p. 698. neque Strabo, quod sumpsit Lezius p. 111, in illa parte libri sui Alexandri res quo ordine gestae sint enumerat, sed in universum illas Indiae regiones secundum situm ut ita dicam geographicum describit. neque quod p. 699 Taxilem Strabo commemorat, ullius momenti est. nam primum verba: *ἐν δὲ λεχθείσῃ ὕλῃ . . . διηγοῦνται κτέ.* indicant inde Strabonem ex alio atque antea haurire fonte (num Clitarcho? v. Lezium l. l.), ut illa de simiis narratio ad aliud atque prius tempus referri possit etsi ea quae de classe aedificata afferuntur ad posterius referremus. iam vero quidni Taxiles etiam post reditum Alexandri ad Hydaspem cum rege esse poterat? verisimile quidem est eum postea quoque praesto fuisse Alexandro. minus premam verba Strabonis: *Ἀλέξανδρος κατήγαγε τῷ Ὑδάσπῃ κόψας . . . στελέχη ναυπηγήσιμα, ἐξ ὧν στόλον κατεσκευάσατο ἐπὶ τῷ Ὑδάσπῃ,* quamquam vix ita scripta essent si legatus aliquis, sive Craterus sive alius, iussus fuisset illa exequi cum ipse rex ad Acesinem, Hyarotim, Hyphasim afuisset.

Arrianus quod re vera Alexandri propositum fuerit, priusquam a militibus coactus esset ut reverteretur, docuit V, 26, 1: *εἰ δέ τις καὶ αὐτῷ τῷ πολεμεῖν ποθεῖ ἀκοῦσαι ὅτιπερ ἔσται πέρας, μαθέτω ὅτι οὐ πολλὴ ἔτι ἡμῖν ἡ λοιπή ἐστιν*

ἔστε ἐπὶ τὸν ποταμόντε Γάγγην καὶ τὴν ἑῴαν θάλασσαν. ταύτῃ δὲ λέγω ὑμῖν ξυναφὴς φανεῖται ἡ Ὑρκανία θάλασσα· καὶ ἐγὼ ἐπιδείξω Μακεδόσι τε καὶ τοῖς συμμάχοις τὸν μὲν Ἰνδικὸν κόλπον ξύρρουν ὄντα τῷ Περσικῷ τὴν δὲ Ὑρκανίαν (resp. θάλασσαν) τῷ Ἰνδικῷ κτἑ. haec verba loquentis Alexandri non plane ab auctoribus videntur ficta esse, sed ipsam prodere Alexandri sententiam. itaque secundum Gangem ad mare Orientale volebat procedere. ibi classem in mare Hyrcanium, alteram in Indicum atque inde in Persicum sinum mittere in animo habebat. quid igitur tum classis in Hydaspe iam paene perfecta potuit prodesse? cum autem milites trans Hyphasim iam nollent sequi atque totum Alexandri de maris orientalis Hyrcaniique navigatione propositum ad irritum cecidisset, certe hoc servavit singulare ac nobile consilium, ut in Indicum mare navigaret indeque in Persicum. cf. etiam Yorck von Wartenburg: die Feldzüge Alexanders des Großen p. 65. tum igitur coepit de classe ad Hydaspem exstruenda cogitare: atque ita Arrianus narrat V, 29, 3 αὐτὸς τὰ ἐπὶ τῷ κατάπλῳ παρεσκευάζετο τῷ ἐξ τὴν μεγάλην θάλασσαν: ipse coepit parare. idem sane Arrianus, ne omittam, ex alio fonte VI, 1, 2 Alexandrum narrat vidisse cum primum Indum convenisset in Indo solo praeter Nilum crocodilos et ad ripam Acesinis fabas Aegyptias. cumque audisset Acesinem Indo comitti, Nili ratum esse fontes sese repperisse. Nilum autem inde per vastam putasse solitudinem fluere ibique Indum nomen amittere, iam unde per cultam regionem iter sumere coepisset, Nilum iam appellatum in mare mediterraneum sese immittere. atque praeter alia de India haec quoque ad matrem Olympiadem scripsisse regem. diligentius tamen cum de Indo amne inquisivisset eumque duplici ostio in magnum mare incidere ab incolis cognovisset, neque ad eum Aegypti quicquam pertinere, rursus quod ad matrem de Nilo scripsisset, delevisse. primum si fontem huius historiolae quaerimus, ex Aristobulo vel Ptolemaeo Arrianum hoc loco hausisse negabimus. docet enim oratio pluribus locis obliqua (cf. VI, 1, 4; 5; 6) λόγον tantum ab Arriano hoc loco referri cuius auctorem reperiemus fortasse Charetem vel Eumenem (cf. 'scripsit in epistula — rursus delevit', haec is tantum potuit scire ac potius se scire simulare, qui semper fere in regis propinquitate esset). rem si spectamus vix potuit fieri ut Alexander tali imbutus esset opinione fidemque non iam haberet Herodoti ceterorumque Graecorum nuntiis qui Indum in magnum mare incidere dudum litteris graecis mandaverant. sane non per longi temporis spatium in opinione perseverasse dicitur Alexander: habuisse autem eum illam opinionem (si omnino umquam habuerit), cum primum ad Acesinem venerit, satis ex Arriani verbis elucet: πρότερον μέν γε κτἑ. πρότερον hoc etiam ad alterum orationis membrum referendum esse concedemus. neque offendit porro quod ad Hyphasim Alexander aliam habet sententiam (cf. V, 26, 2). erravit tamen Arriani auctor ille obscurus qui pergit (VI, 1, 6) καὶ τὸν κατάπλουν τὸν κατὰ τοὺς ποταμοὺς ἔστε ἐπὶ τὴν μεγάλην θάλασσαν ἐπινοοῦντα παρασκευασθῆναι οἱ ἐπὶ τῷδε κελεῦσαι τὰς ναῦς, certe si voluit dicere: Alexandrum iussisse classem parari cum primum ad Acesinem venisset: quod sane voluit. talis auctoris narrationem respiciens Nearchus apud Strabonem rem augens refert (XV p. 696) Hydaspis (non Indi, fortasse errore Strabonis?) crocodilis et Acesinis fabis Aegyptiis visis Alexandrum Nili fontes arbitratum esse se repperisse. καὶ παρασκευάζεσθαι στόλον εἰς τὴν Αἴγυπτον ὡς τῷ ποταμῷ τούτῳ (Ἀκεσίνῃ) μέχρι ἐκεῖσε πλευσόμενον: μικρὸν δ' ὕστερον γνῶναι διότι οὐ δύναται ὃ ἤλπισεν. adiuvabat tales nuntios quod alii narrabant Alexandrum ad Acesinem classem aedificasse (vide adn. 272) habemus igitur duas narrationes: alteram auctoris Diodori et Curtii (Clitarchi?) et Eumenis vel Charetis et Nearchi: Alexandrum classem aedificandam curavisse iam paullo post pugnam cum Poro factam; alteram Arriani vel potius Ptolemaei et Aristobuli, qua cum congruere potest auctor Strabonis p. 698 (Aristobulus?): Alexandrum de classe aedificanda cogitavisse cum ad Hyphasim milites se porro ituros esse negassent. ac posteriori maiorem fidem habendam esse puto, neque me movent quae contra eam Lezius attulit append. XXII, praesertim cum plane erret dicens: 'Aristobulus enim (Strabo XV, 1, 17 p. 691) . . . testatur . . . redisse exercitum ad Hydaspem flumen paulo post arcturi sideris ortum i. e. post diem undecimum mensis Septembris'. quae omnino non insunt in Aristobuli verbis a Strabone illo loco servatis. porro vidimus supra (adn. 269) Alexandrum ad Hydaspem ipsum revenisse circa Idus

coepit parare, quae ad talem navigationem necessaria erant.[272]) venerunt illo tempore Abhisaris frater cum aliis familiaribus et quos antea ad

---

Sextiles. non quadraginta vel quinquaginta sed septuaginta fere dies vel amplius in classe ab exercitu toto aedificanda poterat consumere, si ineunte mense Novembri naves conscendit. erravisse Lezium etiam in altero Strabonis testimonio p. 698 supra iam monui.

272) nescio quae ad Acesinem Alexander praeter legationes audiendas et urbem emuniendam porro instituerit, neque suspicari licet eum classem ibi quoque parasse ut Zumptius scripsit in editione Curtii ad locum IX, 3, 24, Curtii Diodorique nuntios cum Ariano et Strabone studens coniungere (vide nuper etiam Lezium p. 54 adn. 1). posterior de classe ad Hydaspem tantum facta refert XV p. 698, 29. item Arrianus classem ad Acesinem aedificatam esse plane ignorat. sed videamus Curtii nuntios et Diodori. prior IX, 3, 20 narravit: 'hinc repetens — ad flumen Acesinem locat castra. ibi forte Coenus morbo extinctus. — iam in aqua classis quam aedificari iusserat stabat. — oppida quoque duo condidit, quorum alterum Nicaeam appellavit, alteram Bucephalam. . . . secundo amne defluxit, . . . perventum erat in regionem in qua Hydaspes amnis Acesini committitur'. satis elucet amnem quo Alexander inde ab initio navigaverit, fuisse teste Curtio Acesinem. classis in Acesine stabat, oppida non multum ab Acesine posita sunt. sed eundem scriptorem iam compares IX, 1, 3: 'navigia exaedificari iubet'. adhuc rex ad Hydaspis ripam stat, ad Hydaspem igitur navigia iubet exstrui. ac si postea ea reperit facta, ad Hydaspem reperit, non ad Acesinem. porro Coenus Arriano teste non ad Acesinem sed ad Hydaspem mortuus est. denique urbes illae non ad Acesinem sed ad Hydaspem conditae sunt. possis putare errorem esse hoc loco Curtii, qui confuderit Acesinem cum Hydaspe. sed auctoris Curtiani est error. nam apud Diodor. XVII, 95, 3 inveniuntur: *ταῖς αὐταῖς ὁδοῖς πορευθεὶς ἀνέκαμψεν ἐπὶ τὸν Ἀκεσίνην ποταμόν. καταλαβὼν δὲ τὰ σκάφη νεναυπηγημένα* . . . (5) *τὰς μὲν παρὰ τὸν ποταμὸν κτισθείσας πόλεις ὠνόμασε τὴν μὲν* . . . *Νικαίαν, τὴν δὲ Βουκεφάλαν. αὐτὸς δὲ ἐμβάς κτἑ. ὡς δ' ἦλθον ἐπὶ τὴν Ἀκεσίνου καὶ Ὑδάσπου συμβολὴν κτἑ.* eandem rem, eundem fontem habes. urbes etiam huic ad Acesinem conditae sunt, ibi naves aedificatae, cum XVII, 89, 4 non ignoret alio eas loco esse exstructas. Iustinus denique claris verbis dixit: XII, 9 'inde Alexander ad amnem Acesinem pergit, per hunc in Oceanum devehitur'. auctor quoque anonymus Mettensis II, 70 scripsit: 'ipse ad flumen Acesinem recursionem fecit. ibi naves, quas Porus ac Taxiles aedificaverunt, offendit'. vix potuit historicus diligens qui antea recte Hydaspem et Acesinem seiunxerat postea ambos confundere propioremque Indo fluvium iam Acesinem nominare, alterum Hydaspem. sed si reputamus Hydaspem antea apud Diodorum quidem nominatum non esse, concedemus eum omnia quae de Poro ceterisque attulit, ex auctore sumpsisse, qui fluvium Indo propiorem Acesinem appellavit? tamen ne hoc quidem credibile, quamquam non obstant Diodori verba XVII, 90, 4 *αὐτὸς δὲ περάσας τὸν ποταμὸν προῆγε.* ac posset Curtius priora illa de Poro atque pugna cum Poro facta ex alio hausisse fonte qui consentiret de Hydaspe et Acesine fluviis cum Arriani auctoribus, inde a libro IX° eodem (certe in multis) usus esse atque Diodorus. sed probabilius mihi videtur hoc: is qui primos fontes (sive Clitarchum, sive alium hoc loco primum fontem fuisse statuimus, vide etiam Lezium p. 113) excerpsit, neglegenter aut pro Hydaspe Acesinem scripsit, aut postquam Alexandrum ad Acesinem revenisse dixisset cetera quae de Hydaspe in primo fonte recte posita erant, praetervidit; praesertim cum ab altero auctore scriptum tantum inveniret, Acesine voluisse Alexandrum in Aegyptum navigare, ab tertio urbem quoque ad Acesinem conditam esse Alexandriam. neglegentem igitur habemus in hac re Diodori et Curtii communem auctorem, aeque neglegentem in prioribus locis Curtii IX, 1, 9: 'hinc porro amne superato ad interiora Indiae processit' coll. Diod. XVII, 90 *αὐτὸς δὲ περάσας τὸν ποταμόν.* erat Acesines, quod uterque vel potius illorum auctor ignoravit aut non curavit. utut est, omnia quae ad Acesinem Curtius Diodorusque facta esse locis posterioribus commemorant, ad Hydaspem Arriani revera facta esse necesse est putemus.

Abhisarem Alexander miserat legatos.[273]) venit[274]) etiam Arsaces, Uraçae finitimae[275]) Abhisari regionis princeps. atque attulerunt Indi dona, quae apud ipsos maxima habebantur; triginta elephantos solus Abhisares misit; ipsum posse venire prae morbo gravi et frater ipsius negavit et legati Macedones ab eo redeuntes negavere; quibus facile cum fidem Alexander haberet, — re vera Abhisares rex paullo post mortuus est — Abhisarem regni proprii satrapam fecit et Arsacem potestati eius subiecit. tributa tamen quae quotannis mitterent[276]) imperavit.

Iam Acesinem rursus sacrificiis factis[277]) transmisit atque recta via ad Hydaspem processit urbesque visitavit nuper conditas. et quidquid illarum imbribus fluviisque depravatum erat, ab exercitu instaurandum curavit et reliqua negotia regionis exsecutus est. iam toto animo amplexus propositum navigia paravit. atque milites iussit silvas illas, per quas olim in Glausarum regionem et inde ad Acesinem moverat, piceis pinis cedris refertas concidere atque ad Hydaspis ripam naves aedificare. ipsum tum rursus in regione Glausarum fuisse verisimile est. satis multae cum exstructae essent trigintaremes octoginta, non paucae minores, aliae equis vehendis aptae, onerariae multae partim antea adhibitae partim tum aedificatae, in universum fere

273) Supra (p. 36) scripsi (Curtii commotus nuntio VIII, 13, 1) Abhisarem (et Doxareum) legatos misisse 'fidem principum promissuri se suaque dicioni Alexandri Magni permittentium'. Arrianus solum tradidit δῶρα φέροντες (V, 8, 3). iterum cum fratrem aliosque mitteret legatos in Glausarum regionem (Poro paulo ante devicto) Abhisares tum demum se regnumque Macedoni permisit teste Arriano V, 20, 5. cui in hac re sine dubio fidem habendam esse monstrat auctor anonymus Mettensis epit. Alex. M. Mac. rer. gest. l. II § 55 sq. (in Fleck. Jahrb. für klass. Phil. XXVI. Suppl. 1901 p. 105), qui iam Taxilis legatum ab Alexandro cum Abhisaris fratre ad ipsum remissum esse narrat Nicoclen; quem Abhisares remittere noluit, ut refert auctor ille § 56. quamquam Arrianus omisit de Nicocle legato misso atque retento narrare neque de reverso in fines Glausarum cum fratre Abhisaris quicquam tradidit tamen credi potest auctori anonymo et res ita explicari: Nicocles Taxilis ab Alexandro missus erat qui ab Abhisare postularet ut se regnumque traderet; quod cum tum Abhisares nollet, quia in animo ei erat se coniungere cum Poro, legatum retinuit et post victoriam Alexandri ad Hydaspem reportatam demum cum fratre remisit, iam regnum et ipsum tradente. iterum Alexander legatos ex Glausarum finibus misit ad Abhisarem postulantes, ut ipse Abhisares veniret. qui sine Abhisare reverterunt cum ab Hyphasi ad Acesinem Alexander revenit.

274) parum accurate Droysen II p. 168 andere kleine Fürsten der oberen Gegenden commemorat.

275) Uraça regionis capitale vocabatur oppidum. situm erat magis ad Indum versus, si Abhisaris spectamus regnum. cf. Lassen II p. 174 adn. 2.

276) cf. Droysen II p. 168 quem sequor. Lassen II p. 175 minus recte scripsit: (Alexander) 'bestimmte die Tribute, welche diese beiden Fürsten an den Akesines zu senden hatten'.

277) erravit Droysen II p. 168 hoc dicens: 'nach feierlichen Opfern zur Weihe der neuen Stadt ging Alexander über den Acesines'. solebat enim Alexander sacrificare priusquam amnem transgrederetur cf. Arr. V, 28, 4. ac tunc quoque propter traiectum instantem diis Alexandrum immolasse Arrianus satis clare indicat V, 29, 5; quando sacrificia urbi novae consecrandae factae sint non tradit.

mille[278]), iam navigare statuit. priusquam autem instituit navigationem Coenus ex fidissimis Alexandro amicis interiit ex morbo.[279]) magnifice eum rex sepelivit.[280]) venerunt tum quoque Sopolis Epocillus Menidas duces[281]); duobus annis ante[282]) dimissi, qui ex Macedonia Graecia ceterisque regni provinciis occidentalibus supplementa peterent, supra triginta milia peditum et sex fere milia equitum[283]) adduxerunt.

---

278) Arrianus sane VI, 2, 7 tradidit *ἦν δὲ τὸ ξύμπαν πλῆθος τῶν νεῶν, ὡς λέγει Πτολεμαῖος ὁ Λάγου, ᾧ μάλιστα ἐγὼ ἕπομαι τριακόντοροι μὲν ἐς ὀγδοήκοντα· τὰ δὲ πάντα πλοῖα σὺν τοῖς ἱππαγωγοῖς καὶ Κερκούροις καὶ ὅσα ἄλλα ποτάμια ἢ τῶν πάλαι πλεόντων κατὰ τοὺς ποταμοὺς ἢ ἐν τῷ τότε ποιηθέντων οὐ πολὺ ἀποδέοντα τῶν δισχιλίων.* sed idem Indica 19, 7 (Nearchum sequens) *νέες δὲ αἱ σύμπασαι αὐτῷ ὀκτακόσιαι ἦσαν.* ubi coniecerunt *χιλίαι καὶ ὀκτακόσιαι ἦσαν* esse scribendum. Curtius rettulit IX, 3, 22: mille navigiis aditurus Oceanum. eundem Diodorus praebet numerum XVII, 95, 5 *τῆς δὲ ναυτικῆς παρασκευῆς συντελεσθείσης καὶ διακοσίων δὲ ἀφράκτων ἡτοιμασμένων, ὀκτακοσίων δὲ ὑπηρετικῶν.* auctor anonym. Mettensis II, 70: ibi naves quas ac Taxiles aedificaverunt offendit biremes DCCC, penarias CCC. habemus igitur praeter Ptolemaeum tres auctores qui octingentas, mille vel mille centum tradunt naves. atque etiamsi putamus multas Alexandro ex proximis fluviis naves esse adductas ab Taxile et Poro aliisque, tamen duorum tantum mensium spatio non concedemus paene duo milia navium parasse Macedones. iam Arrianus Ind. 19, 7 naves numerat octingentas recte si *ὑπηρετικὰς* tantum *ὀκτακοσίας* Diodori vel biremes DCCC auctoris Mettensis respicimus. quare si coniciendo diversos numeros volumus aequare in Arriano VI, 2, 7 Kruegerum sequentes scribamus potius *τῶν χιλίων*, quam ut addamus Ind. 19, 7 *χιλίαι καὶ* (cf. etiam Hüllemann. apud Müll. fragm. Ptolem. 19 a Droysen II p. 171 adn. 1). toti classi (gubernatori regio Onesicrito excepto) praefecit trierarchos 33 (Arr. Ind. 18); quorum si unicuique triginta subdidit naves, erant 990. Lassen diversos Arriani Diodorique nuntios conexuit male II p. 176. quamquam assensus est Hertzberg II p. 296 adn.

279) mortuus tum etiam Alexandri puerulus ex Roxana si fidem habemus auctori anonymo Mettensi II, 70.

280) Arrianus VI, 2, 1 *ἐκ τῶν παρόντων μεγαλοπρεπῶς.* non ausus sum ea ita interpretari ut plerique fecerunt, qui Arrianum his verbis existimant voluisse indicare Coenum post orationem illam ad Hyphasim habitam non iam tota Alexandri qua antea usum esse familiaritate. Curtius sane IX, 3, 20 haec tradidit: 'cuius morte ingemuit quidem rex, adiecit tamen propter paucos dies longam orationem eum exorsum, tamquam solus Macedoniam visurus esset'. quae si revera Alexander dixisset, proderent hominem minime generosum. nam quomodo de Coeno solo iratus esse potuit, cum ille non pro se — nam ipse secuturus fuisset regem — sed pro universo exercitu loqueretur: non ille ipse petivit ut Alexander rediret, immo totus exercitus flagitavit postulavitque. neque sine causa rebellare, si licet omnino hoc verbo uti, atque dico potius resistere regis voluntati apparebat milites: nam statim cum reditum nuntiasset lacrimantes ad tabernaculum regium venere gratias regi acturi. atque rerum omnium habita ratione Alexander ipse intellegere debuit, tali exercitu opulentos potentissimosque trans Gangem habitantes populos se non posse depugnare. tum certe non Coeno debuit irasci, neque fecit Alexander. utut *ἐκ τῶν παρόντων* interpretandum est — equidem puto referenda esse ea verba ad tempus profectionis resque tum turbatas — non inde debet concludi, Coenum minore tum Alexandri amicitia esse usum. fortasse etiam Arrianus vel auctor talem opinionem voluit reicere scribens: *ἐν τοῖς πιστοτάτοις Ἀλεξάνδρῳ ὢν τῶν ἑταίρων.*

281) nusquam sane nominatim dicuntur. sed videntur Diodori (XVII, 95, 4) *στρατηγοὶ* esse iidem atque tres illi.

282) cf. Arr. IV, 18, 3.

283) tradit hos numeros solus Diodorus l. l. Curtius IX, 3, 21 Memnonem ex Thracia in supplementum equitum quinque (ita optimi codd.) milia, atque ab Harpalo pecuniarum Ecbatanis praefecto peditum septem milia — videntur

apportaverunt etiam viginti quinque milia panopliorum auro et argento caelatorum, Alexandri peditibus quae maxime opus erant confestimque divisis vetera rex iussit cremari. neque non centum medicamentorum talenta attulerunt, quae inter agmina singula distributa sunt.

Tum nil impediebat quominus navigationem Alexander inciperet. atque in naves remiges ministrosque imposuit Phoenicum Cypriorum Carum Aegyptiorum quot rerum navalium periti essent et insulares Ionesque et Hellespontios his in rebus bene versatos.[284]) trierarchos[285]) autem navibus praefecit Macedones hos: Hephaestionem Amyntoris, Leonnatum Eunoi, Lysimachum Agathoclis, Asclepiodorum Timandri, Archontem Cliniae, Demonicum Athenaei, Archiam Anaxidoti, Ophellam

---

ei fuisse, quos antea Alexander praesidio pecuniis reliquerat cum Harpalo: sex milia peditum Macedonum, equites, leviter armatos cf. Arrian. III, 19, 7 — tradit adduxisse. de ceteris tacet. videntur hi inter eos fuisse quos Diodorus a strategis testatur adductos esse. sed errare videntur Köchly-Rüstow l. l. p. 258 adn. 85, qui omnes praeter commemoratos a Curtio ex provinciis maritimis conscriptos esse putent. Sopolis, Epocillus, Menidas in ipsam quoque Macedoniam missi erant supplementa accepturi (v. Arr. IV, 18, 3). mirum si ne unum quidem potuerint capere. quare equidem alios ex Graecia et Macedonia tum advenisse milites praeter eos qui ex maritimis fortasse regionibus conscribebantur pro certo habeo.

284) insulares Iones Hellespontios Arr. Ind. 18, 2 commemorat, cum eos ignoret exped. Alex. VI, 1, 6. posteriore loco addit Cares, quos priore omisit. coniunxi nuntios diversos; fortasse recte.

285) miram mehercule fabulam sibi finxit Droysen II p. 170 de trierarchis illis: 'Nach hellenischer Sitte ernannte Alexander aus der Zahl der Reichsten und Vornehmsten in seiner Umgebung dreiunddreißig Trierarchen, denen diese Leiturgie der Ehrenleistung einer stattlichen und tüchtigen Schiffsausrüstung zum Gegenstand eines für die Sache selbst sehr förderlichen Wetteifers wurde' . . . 'ob diese Trierarchen die ganze Flotte oder nur die größten Schiffe, die achtzig Dreißigruderer, ausrüsteten, ist nicht mehr zu erkennen'. eadem fere Hertzberg hariolatus est II p. 296. nullo usquam loco de talibus trierarchiis Alexandri ab auctoribus antiquis docemur. immo navibus perfectis Alexander hierarchos duces praefecit, ut singulis trierarchis triginta fere naves subditae essent. cf. Arr. Ind. 18, 1: *ἐπειδὴ οἱ παρεσκεύαστο τὸ ναυτικόν* . . . (3) *τριήραρχοι δὲ αὐτῷ ἐπεστάθησαν*. porro mirum esset tale quid ab Arriano non pluribus verbis indicari aut explicari. at 'diese Form der Triearchien, deren Arrian Ind. 18 erwähnt, bestätigt Plut. Eum. 2 und Plin. 19, 1 (Droys. l. l. adn. 1). Plutarchus l. l. scribit: *Νέαρχον ἐκπέμπων μετὰ νεῶν ἐπὶ τὴν ἔξω θάλασσαν ᾔτει χρήματα τοὺς φίλους· οὐ γὰρ ἦν ἐν τῷ βασιλείῳ*. sed legas porro: *τοῦ δ' Εὐμένους . . . ἔλαβε δ' οὐδὲν*. accepit igitur ne nummum quidem, sed trierarchus est Eumenes apud Arrianum Ind. 18, 7. concesso tamen illo loco ad naves pecuniam consumpsisse trierarchos, quod regem ipsum defecerat, quid inde ad nostram rem potest effici? Plinius vero N. hist. 19, 1, 22 hoc tradit: 'temptatum est tingui linum quoque, ut vestium insaniam acciperet, in Alexandri Magni primum classibus Indo amne navigantis, cum duces eius ac praefecti certamine quodam variassent et insignia navium, stupueruntque litora flatu versicoloria'. non premam verba. 'Indo amne navigantis' (quamquam inde concludi posset, non initio navigationis sed post aliquantum tempus linum esse tinctum); nam 'vela discoloria' commemorat auctor anonymus Mettensis II, 70 initio navigationis. sed etiamsi duces ac praefecti classis tum certabant insignia navium variare — hoc sane ut videtur suis sumptibus, fortasse tamen non in omnibus navibus sed in eis tantum quibus trierarchi ipsi vehebantur ut unius cuiusque eorum navis praetoria procul cognosceretur, aut si in omnibus, ut singulae naves isdem insignibus ornatae facilius cum praetoria nave continerentur — num inde intellegi potest, trierarchos omnia navium armamenta suis sumptibus instruxisse?

Sileni, Timanthem Pantiadae; atque hi quidem Pellaei erant. Amphipolitae hi duxerunt: Nearchus Androtimi, Cres genere qui etiam classis totius nauarchus factus est, Laomedon Larichi, Androsthenes Callistrati; Crestitae: Craterus Alexandri, Perdiccas Orontis; Eordaei: Ptolemaeus Lagi, Aristonus Pisaei; Pydnaei: Metron Epicharmi Nicarchidesque Simi; praeter hos Attalus Andromenis Stymphaeus, Peucestas Alexandri Miezeus, Pithon Crateuae Alcomenaeus, Leonnatus Antipatri Aegaeus, Pantauchus Nicolai Alorites, Mylleas Zoili Beroensis; Graecorum hoc honore affecti sunt: Medius Oxynthemidis Larissaeus, Eumenes Hieronymi Cardianus, Critobulus Platonis Cous, Thoas Menodori et Maeander Mandrogenis Magnesii; Andron Cabelei Teius; Cypriorum: Nicocles Pasicratis Solius, Nithaphon Pnytagorae Salaminius. denique unus etiam Persa trierarchus fuit: Bagoas Pharnuchae. ipsius Alexandri navem gubernavit Onesicritus Astypalaeensis; totius classis scribam Euagoram Eucleonis Corinthium fecit. ac si Hephaestionem Craterumque postea non apud classem reperiemus duces, non miramur. nam honorem potius quam munus acceperant. ac poterant illorum loco alii hoc officio fungi. quod saepius aliis in locis usu venit.

Alexander amicis convocatis legatisque Indorum quot quidem advenerant[286]), Porum Indiae adhuc subactae ab Hydaspe ad ripam

286) videntur etiam Taxilis legati affuisse. nam de regulo ipso tacet Arrianus, ut falsus fuerit Lassen II p. 175 scribens: 'hier hatte er die Könige Taxiles und Porus zu sich beschieden'. neque cautius egit Hertzberg II p. 297. Droysen II p. 172 dixit: Dem Fürsten Taxiles wurde der unabhängige Besitz seiner alten und neuen Länder zuerkannt. vereor ut recte. Philippus enim antea Taxilis satrapa erat (cf. Arr. V, 8, 3). ad eundem etiam Arriani verba VI, 2, 3 *Φιλίππῳ δὲ τῷ σατράπῃ τῆς ἐπ' ἐκεῖνα τοῦ Ἰνδοῦ [ὡς ἐπὶ Βακτρίους] γῆς* referenda esse eiecta interpolatione supra monui (adn. 200); idem ab Arriano Ind. 19, 4 regionis circa Hydaspem inferiorem tum (in exp. Al. VI, 14, 3 coll. 15, 2) Mallorum et Oxydracarum satrapa nominatur. denique cum interfectus sit, Eudemus (Thracum cum Philippo relictorum dux cf. Curt. X, 1, 20) et Taxiles iubentur satrapiae Philippi consulere, dum novum Alexander constituisset satrapam. ante illud tempus subditus fuisse videtur Philippo Taxiles, quem Arrianus non *βασιλέα* appellat, sed *ὕπαρχον*, nomine iam indicans non esse illum principem *αὐτοκράτορα*. v. V, 8, 2: *Ταξίλης ὁ ὕπαρχος τῆς πόλεως* et V, 8, 5 *πεντακισχιλίους τῶν Ἰνδῶν, οὓς Ταξίλης τε καὶ οἱ ταύτῃ ὕπαρχοι ἦγον.* Taxiles igitur erat, si Arrianum sequimur, regulus non maior dignitate ut alii reguli illius regionis intra Attok et Ialâlpur sitae. Curtius, cui Taxiles rex est par dignitate Poro, amicitiam Taxili cum Poro per affinitatem firmatam esse tradidit; quod nescit Arrianus; probabile visum est Hertzbergio II p. 297. res per se incredibilis, si dignitatem inferiorem respicias Taxilis, neque dubium, quin ab eodem ficta sit, qui Taxilem regem magnum esse voluit, qui idem Oxydracas et Mallos per dena millia nuptiarum amicitiam novam firmasse (Diod. XVII, 98, 1) dixit. ceterum post Alexandri mortem cum Antipater Asiam partiretur duas Indiae trans Indum fecit satrapias cf. Success. Alex. c. 36: *τὴν μὲν παρὰ τὸν Ἰνδὸν ποταμὸν καὶ Πάταλα . . . Πώρῳ τῷ βασιλεῖ ἐπεχώρησε, τὴν δὲ παρὰ τὸν Ὑδάσπην ποταμὸν Ταξίλῃ καὶ τούτῳ Ινδῷ ἐπεὶ μηδὲ ῥᾴδιον μετακινῆσαι αὐτοὺς ἐξ Ἀλεξάνδρου τε ἐπιτετραμμένους τὴν ἀρχὴν καὶ δύναμιν ἱκανὴν ἔχοντας.* hoc quoque loco Taxiles non *βασιλεὺς* appellatur; elucet autem hinc et Taxilem et Porum iam Alexandro vivo principes fuisse in suis regionibus *αὐτοκράτορας*, post Alexandri mortem a Macedonibus satrapas fortasse nominatos. ceterum de Perdiccae partitione imperii cf. Diod. XVIII, 3, 4.

usque Hyphasis fluvii regem constituit.[287]) gentes erant septem quarum inde ab illo tempore Porum regem Alexander nominavit superiorem.[288]) urbium quas illae incolebant plus duo milia erant. magnam certe fidem Poro habuit Alexander cum regem tantae regionis faceret liberum; nam ne uno quidem verbo indicatur Porum Alexandro ipsi subditum fuisse. aut igitur propter longiorem consuetudinem intima eius familiaritate usus non metuebat Alexander ne Porus arma denuo contra Macedones ferret, aut quid cogitaret ipse de populorum omnium, Graecorum, Persarum, Medorum Indorum conexione atque contagione commercioque Poro exposuerat eiusque consensum sibi paraverat, aut denique non speravit eum umquam posse diversos illos populos septem tam valida domare manu ut iunctos contra magnum Macedonicum regnum duceret.

Deinde Alexander exercitum divisit: hypaspistas omnes et sagittarios et Agrianos et equitum agema naves iussit conscendere.[289]) Craterus peditum equitumque partem in fluvii Hydaspis ripa dextra duxit; in parte sinistra Hephaestio cum maxima optimaque exercitus parte et elephantis ducentis fere progressus est. hisque mandatum

---

287) Plut. v. Al. c. 60 narrat sane Porum satrapae nomen accepisse: *ἀφῆκεν αὐτὸν ἄρχειν ὧν ἐβασίλευε σατράπην καλούμενον*. nil tale apud alios extat auctores. mentiri Plutarchi auctorem existimavit Droysen II p. 145 adn. 1. sed Arrianus V, 29, 5 narrat Abhisârae regionis Abhisarem satrapam esse Alexandrum concessisse: *τῆς αὐτοῦ χώρας σατραπεύειν ἔδωκε*. atque subiunxit Abhisari Alexander Arsacem finitimae regionis principem. ac si Abhisarem satrapam fecit Alexander, etiam Porum, cui Glausas ceterosque populos subdidit, ut ipsum Abhisari Arsacem, satrapam facere potuit: semper eum monuisset non iam regem ipsum esse sed ministrum tantum ut ita dicam regis potentioris. potuit sane, sed non fecit. Arriani verba VI, 2, 1 *βασιλέα μὲν τῆς ἑαλωκυίας ἤδη Ἰνδῶν γῆς ἀπέδειξε Πῶρον* videntur quodammodo oppugnare alterum nuntium antea inter historicos Alexandri circumlatum, quasi satrapam fecisset Alexander Porum. dicunt igitur Arriani verba aperte: non satrapam Porum fecit Alexander, sed regem restituit: et liberum regem nul lisubditum. York von Wartenberg l. l. p. 66. Porum socium fidelem Alexandri nominat recte. cf. etiam adn. 286 fin.

288) quae fuerint gentes certo dici nequit; suspicari tamen licet fuisse eas Pori ipsius Porique alterius gentes, iam Glausas, Adraistas, Cathaeos liberos, denique Sopithis Ceceios vel Gandaridas et Phegei gentem.

289) Arriano teste (VI, 2, 2) hypaspistas omnes et sagittarios et Agrianos et equitum agema secum naves iussit Alexander conscendere. idem Ind. 19, 2 narrat, praeter hypaspistas sagittarios omnes, equitumque hetaeros dictos navibus esse vectos: omnes octo millia. videtur Arriani auctor (Ind. 19, 2) inter *τοξότας πάντας* etiam Agrianos comprehendisse, sed parum accurate *τοὺς ἑταίρους* pro agemate solo amicorum commemoravit. denique quod *ὀκτακισχιλίους* tantum milites secum abduxisse narrat Alexandrum aut errat, aut numerus librariorum culpa in peius mutatus est. sagittarios minime duas fuisse legiones ex Arriano V, 23, 7 posse cognosci iam supra monui: etiamsi certe nescimus, tamen tria fere millia in una legione comprehensa fuisse concedemus. erant igitur sagittariorum minime sex milia. additis iam hypaspistis, omissis Agrianis et equitibus, plus octo millia habemus. legendum fortasse apud Arrianum Ind. l. l. *⟨μυρίους καὶ⟩ ὀκτακισχιλίους*. sex fere hypaspistarum, sex vel septem sagittariorum, quattuor Agrianorum milia, equites paene mille si numeramus, iam decem et octo milia habemus militum quos Alexander secum abduxit.

erat ut quanta possent celeritate Sopithis regiam adirent.[290]) Philippo etiam, Taxilarum satrapae, imperaverat, ut trium dierum spatio elapso cum suis militibus sequeretur. Nysaeos denique equites remisit Nysam.[291])

Paratis ita omnibus rebus ad navigationem initio fere mensis Novembris[292]) diis immolavit patriis et ab oraculo[293]) Ammonis praedictis, Neptuno praeterea Amphitritae, Nereidibus, Oceano[294]), denique ipsis Hydaspi, Acesini, Indo, prout vates praecipiebant. victimas inter singula agmina distribuit ludosque gymnicos musicosque instituit.[295])

---

290) de hoc Sopithe vide quae supra exposuerim in adn. 199 et 234. videtur inter eos regulos fuisse qui dudum Alexandro se subiecerant cf. Arr. VI, 3, 5. Droys. II p. 172 adn. 1 quod suspicatur confudisse Arrianum Sopithem et Spittacem errat. neque per se credibile, cum Spittaces iam in pugna contra Porum facta mortuus esset et Arrianus certe hoc loco mortui Spittacis mentionem fecisset. sita erat Sopithis regia prope urbem Bheḍa vel Bhiṛa utque videtur in dextra ripa fluvii (hodie Old-Bheḍa prope Ahmedabad, vide Cunningham p. 155). tertio die profectus a Nicaea (prope Mong urbe, v. adn. 184) venit Alexander eo fluminis ubi in utraque ripa Craterum Hephaestionemque consistere ipsumque expectare iusserat; eodem Philippus Taxilis venit. Now Bhira is just three days' boat distance from Mong (Cunn. l. l.). At this point the two great routes of the salt caravanes diverge to Lahor and Multan. via priore (Bheṛa-Lahore Philippus dimissus contra Dschelalpur (urbem in sinistra ripa Acesinis fluvii sitam) Acesinem assecutus esse videtur. regiones inde septentrionales circa Phaliân et Ramnagar urbes iam Alexandro (vel potius Poro) subditae erant. itaque in meridionales secundum Acesinem regiones progressus est Philippus. ac verisimile est eum Acesinem transisse prope Dschelalpur atque inde in sinistra ripa processisse via quae hodie conectit Dschelalpur, Tschuniot, Dschung, Mugiani urbes. etiam Hephaestio transmisit Acesinem, priusquam recipit Hydaspem, prope Dschung urbem ut videtur. via igitur processit Bhiṛa-Shahpur-Kadurpur-Dschung. prope Dschubrai (infra confluentes amnes, ubi hodie quoque Acesines transmittitur) classem Alexander ad dextram ripam appulit (Arr. VI, 5, 4). Craterus nondum aderat. ita Alexander ipse dum classem Nearcho duce ad Mallorum fines praemittit, in dextra ripa Acesinis fluvii fortasse circa Utsch et Nuwakut urbes barbaros expeditione terruit, ne Mallis subvenirent. ipse prope Pir-Abdul-Rahman ad flumen revenisse videtur, ubi praeter classem et Hephaestionem Philippumque etiam Craterum repperit, qui secundum flumen processerat, ut videtur, via Dschubrai-Dschiban.

291) etiam Indorum illa quinque milia dimissa esse ab Alexandro Droysen II p. 172 existimat. nil de illis traditum est. sed non remisit Alexander, si Arriano licet fidem habere de hac re tacenti, cum de Nysaeis trecentis referat.

292) cf. Strab. XV p. 691, 17 *διατρίψαντας δὲ περὶ τὴν ναυπηγίαν ἐπὶ τῷ Ὑδάσπῃ καὶ πλεῖν ἀρξαμένους πρὸ δύσεως πληιάδος οὐ πολλαῖς ἡμέραις* . . . (Aristobulus narrat). Droysen II p. 171 adn. 3.

293) cf. Arrian. Indic. 18, 11; exp. Alex. VI, 19, 4.

294) dubium fortasse num iam ad Hydaspem Neptuno, Amphitritae, Nereidibus, Oceano immolaverit Alexander (quod affirmat Arr. Ind. 18, 11); nam aliud sacrificium Neptuno immolatum et libatum postea cum classis in Oceanum invectura erat ab Arriano commemoratur exp. Al. VI, 19, 4—5. si revera iam ad Hydaspem illis diis marinis sacra fecit, totius expeditionis quasi finem ac terminum indicare in animo habuit.

295) ita putavi recte conecti narrationes Arriani exp. Al. VI, 3, 1 et Ind. 18, 11. postea quoque non solum immolat Alexander Neptuno sed etiam libat (cf. Arr. VI, 19, 5). cogitandum autem est, non solum classem esse profectam, sed etiam reliquum exercitum; quare non modo pro classe debuit Alexander sacra facere, verum pro toto exercitu. solebat autem rex rem gravem aggressurus diis semper immolare atque ludos instituere illos gymnicos musicosque. ita, ut alia omittam Taxilis ad Hydaspem profecturus atque Indiae ipsius fines

postero die milites sub auroram naves conscenderunt. iam alia rex sacra fecit: ascendit in navem regiam libavitque ex phiala aurea a prora in amnem; Hydaspem invocans et Acesinem et Indum; tum Herculi generis auctori et Ammoni libavit aliisque diis quibus solebat sacrificiisque perfectis confestim tuba navigationis incipiendae signum dari iussit. quo vix dato naves provectae sunt ordine. constitutum enim erat, quanto intervallo onerariae, quanto hippagogae, quanto denique naves bellicae inter se distantes veherentur, ne temere promotae colliderentur neve siquae velociore cursu ferrentur ex ceterorum ordine prorumperent. mira autem erat tot navium velis insignibusque coloratis ornatarum, mirus etiam remigationis sonitus, tot naves cum una promoverentur, mirus hortatorum clamor remigationis et initium et intermissionem praecipientium, remigum denique cum uno impetu remos aquis immittentes creparent. ac ripae multo navibus altiores clamorem coactum in artum itaque valde auctum inter se remittebant, saltus etiam hic illic solitudine exceptum repercutiebant. Indi qui talem antea classem nondum per Hydaspem vidissent devehi admirantes ad ripam accesserunt; qui aderant cum promoveri classis coepta est, diu prosecuti sunt; alii subditi iam Alexandro cum classis appropinquaret eorum finibus sonitusque navigationis audiretur ex urbibus ad ripas aggressi barbarica carmina Macedonum subiungentes cantui comitati sunt. ita navigans[296]) tertio die Alexander substitit, ubi Hephaestionem et Craterum in ripa utraque castra ponere iusserat, ad Sopithis regiam prope Ahmedabad (Bheḍa) ac mansit ibi duos dies, dum Philippus cum reliquo exercitu ei adiuncto advenisset. aggressum ad Acesinem fluvium misit cum suis copiis quas adduxerat via quae conectit Bheḍa et Dschelalpur ad Acesinem urbes, mandans ut iuxta Acesinis ripam ad con-

---

iam ingressurus, ita priusquam ab Hyphasi rediret novam rem rursus moliturus sacra ludosque fecit. quare etiam illo tempore cum ab Hydaspe in Indiam meridionalem procedebat, non omisisse eum crediderim neque sacra neque ludos. ceterum in exped. VI, 3, 1 sq. Arrianus Ptolemaeum videtur reddidisse (cf. VI, 2, 7), in Ind. 18, 11 Aristobulum fortasse; ille enim solet referre de ludis institutis cf. VI, 28, 3.

296) Curtius IX, 3, 24 quadraginta ferme stadia singulis diebus Alexandrum processisse narrat. sine dubio eius auctor erravit, nisi 'ducenta quadraginta' corrigere malis. iusserat Alexander Craterum Hephaestionemque quam celerrime possent ad Sopithis regiam adducere. qui quaterna milia geographica illis diebus singulis certe profecti esse debent. ac si propter flumen saepius curvatum sena fere singulis diebus milia geographica in aqua Alexandrum ad locum eundem provectum esse putabimus vix errabimus. cf. etiam Droysen II p. 174 adn. 2, qui in eo tamen falsus est quod Plinium huc rettulit VI, 17, 60. nam de Indi ille narravit, non de Hydaspis navigatione. recte sane Droysen illius auctorem iudicavit verum excessisse ('proditur Alexandrum nullo die minus stadia DC navigasse Indo', fortasse tamen corrigendum 'stadia CC'). ac si spatium in chartis geographicis respicimus inter Mong urbem (prope quam Nicaeam conditam fuisse supra monui) et confluentes Dschilam et Tschinab fluvios, est fere triginta sex milium geographicorum in terra, quinquaginta fere in aqua: iam scimus octo diebus (exceptis sane duobus itineris intermissi) Alexandrum a Nicaea urbe, ubi ante profectionem consedisse videtur, ad confluentes amnes venisse. singulis igitur diebus iter fecit senorum fere milium geographicorum etiam in Hydaspe.

fluentes Acesinem et Hydaspem amnes procederet[297]) populosque in itinere quos habitantes reperiret Macedonum potestati subiceret. Craterum deinde et Hephaestionem castra movere iussit certam eis quoque viam praescribens. ipse per Hydaspem navigavit nusquam iam minus XX stadia latum.[298]) atque subinde naves appellens terrae Indos accolas deditione partim recepit, partim defendentes se vi armorum domuit. neque tamen omnes ad ripam habitantes populos debellavit aut deditione recepit cum in Mallos Oxydracasque magna celeritate properaret, quos maximos et bellicosissimos Indorum illam regionem tenentium populos esse dudum audiverat. tum autem nuntiatum erat statuisse eos pugnam cum Alexandro inire. iamque liberos ab iis et feminas in urbibus munitissimis servatos esse: quare maxima celeritate navigavit, ut conveniret potius eos bellum gerendum parantes quam ad pugnam constitutos. ac venit a Sopithis regia quinto die ad confluentes Hydaspem et Acesinem. qui ubi committuntur unus fluvius angustior fit cursusque eius propterea rapidior est quam antea. turbines aquis refluentibus effectos esse ingentes narrat Arriani auctor. aquas omnes fluctuasse aestuantes et strepitasse, ut procul audiretur.[299]) incolas

297) ita Arrianus refert VI, 4, 1. Ind. 19, 4 *ἅμα στρατῇ πολλῇ* eum dimissum esse narrat. cf. Lez. p. 59 adn. 2. videtur Philippus propriam legionem secum duxisse, praeterea equites non multos et leviter armatos nonnullos, in universum septem vel octo fere milia militum Arr. Ind. 19, 5 tradidit: *ἤδη γὰρ καὶ δώδεκα μυριάδες αὐτῷ (Ἀλ.) μάχιμοι εἵποντο*. quorum si desumas septem fere milia quos Philippus Taxilis adduxit, porro trigenta sex milia supplementorum, restant septuaginta septem milia militum. supra vidimus Alexandrum cum primum ad Hydaspem venisset, octoginta duo fere milia secum adduxisse (v. adn. 141). iam in urbibus nove conditis Bucephalis et Nicaea, in exaedificata ab Hephaestione ad Acesinem relicti sunt milites: alii in pugnis ceciderunt aux ex morbo praesertim illo tempore, non paucos serpentium veneno mortuos esse supra ex Diodoro cognovimus. numerum certe non augemus, si quinque milia ita putamus Alexandrum amisisse pugnantium.

298) ex Aristobulo hos numeros Arrianum sumpsisse Lezius putat p. 56 adn. 3. non debemus oblivisci illis locis fluvium Hydaspem insulis permultis in complures partes divisum esse atque Alexandrum ineunte fere mense Novembri eo flumine devectum esse cum iam satis magnum esset imbribus mensium superiorum.

299) hoc re vera fieri qui nostra aetate loca illa peragrabant, confirmant. cf. Droys. II p. 175 adn. 1. tamen auctores Graeci auxisse videntur difficultates cf. quae ex Burnesio York von Wartenburg affert l. l. p. 67, qui addit: 'Jedenfalls bestand die Bemannung der Flotille nicht gerade aus erfahrenen Schiffern und waren die Fahrzeuge wohl auch nicht besonders seetüchtig und beruhte darin die Hauptgefahr'. ceterum Diodorus sua non de Hydaspis et Acesinis, sed de Indi atque Acesinis commissura narrat XVII, 97, 1. etiam Curtius IX, 4, 9 videtur de Indo et Acesine confluentibus cogitare, quamquam non aperte dicit. nam verba eius ad confluentes Hydaspem et Acesinem quoque referri possent. mirum sane eum tum demum de his confluentibus narrare, cum iam antea (IX, 4, 1) de eis rettulerit. errant autem et Diodorus et Curtius atque adeo eorum auctor. quod tradunt regem ipsum magno in periculo fuisse per se quidem incredibile non est. nam fieri poterat, ut etiam regia navis agitaretur turbinibus. sed nimis certe rhetorice rem auxerunt: iam vestem detraxisse Alexandrum in fluvium se immissurum amicosque haud procul natasse ut eum exciperent. vi tandem magna remos concitant fluctuumque impetum frangunt regiae navis remiges: neque tamen in ripam sed in vadum proximum navis illiditur. alter Achilles videbatur

haec omnia Alexandro praedixisse, tamen appropinquantium aures iam tanto confluentium aquarum verberatas esse strepitu, ut nautae navigare desinerent, non iussi, sed hortatores prae admiratione conticuisse ipsosque nautas perterritos remos remisisse. neque procul a confluentibus omnibus erant cum gubernatores iubent remiges quanta vi possent ex angustiis naves promovere, ne turbinibus subverterentur iniectae; atque oneraria navigia si quae vorticibus inferebantur nihil mali passa sunt cum rotundiora essent. aliquamdiu circumacta iam in rectum cursum ab aquis ipsis trudebantur. bellica tamen non sine damno turbines poterant transvehi. inque primis biremium multarum remi inferiores paullulum supra aquam eminentes cum transversis peterentur undis fracti sunt. duae etiam inter se collisae perierunt et multi militum qui illis vecti erant. sed iam in latitudinem amnis erat extensus, neque aquae eadem atque antea ferebantur rapiditate: neque turbines eadem vi naves circumagebant, cum Alexander naves dextrae ripae appulit ubi a fluctuum impetu tutiores essent; naves etiam ab aliis illuc appelli solitae. rupes ad colligenda naufragia et recipiendos si qui vivi in illis servati essent commode prominebat e fluvio. ac nonnulli certe recepti sunt. dum naves reficiuntur accolae illius regionis — erant Sobi vel Sibae[300]) — Alexandro se tradiderunt.[301])

rex, qui cum fluvio ipso pugnavit (Diod. XVII, 97, 3). iam Curtio teste (IX, 4, 14), aras pro numero fluminum posuit sacrificavitque. Diodorus τοῖς ϑεοῖς Alexandrum immolasse narrat. ne verbum quidem de hoc regis periculo facit Arrianus. fictum videtur.

300) crediderunt Sibarum nomen derivandum esse a deo Indico Çiva (cf. Bohlen, das alte Indien p. 208). nam Çivaita est is qui Çivam colit. sed recte Lassen I p. 792 adn. 2 animadvertit, non Çivae dei ministros se voluisse haberi Sibas sed Krishnae h. e. Herculis. Krishna autem erat deus pastorum. Wilson Ar. Antiq. p. 199 putavit esse eos 'the descendant . . . of king Sivi, the son of Usinara'. ceterum in Arriani Anabasi Sibae non commemorantur, novit eos Ind. V, 12 atque Sibas vocat. eodem nomine Strabo eos appellat XV p. 688. 701. apud Diodorum Siboi, apud Curtium in codicibus Sobi nominantur (quod servandum videtur esse). Iustini Silei XII, 9 emendati sunt 'Sibi'. Megasthenes novit praeter Sibas Sileos alium populum (Arr. Ind. VI, 2). habitabant autem Sibae vel Sobi si fidem habemus Curtio Diodoro Straboni infra Hydaspem Acesinemque confluentes utque videtur in dextra Acesinis ripa. nomina urbium illis locis hodie quoque extantium Tschubrai infra confluentes Hydaspem et Acesinem, Tschubara (infra Nuwakut), Dschiban ad Acesinem infer. monent de Sobis Curtii et de Sibis Diodori.

301) erravit Lassen II p. 177,1 cum scriberet narrare Curtium expugnatam esse urbem Sibarum, Diodorum traditas esse urbes ab illis. Curtius enim IX, 4,1 nil tale de Sobis (vel Sibis) rettulit; quod addidit IX, 4,4 iam de alia gente narravit. Curtius porro et Diodorus quae de gentibus illis referunt non ex eodem fonte hauserunt; nam Curtius Sobos, Diodorus Sibas novit; Curtius tres gentes numerat Sobos (IX, 4,2) Agalassenses (hos tamen non nominat, IX, 4,5) et regionem cuius caput corona cepit (IX, 4,4) posteriorem non commemorat Diodorus. iam XL milia peditum numerat Curtius, Diodorus addit tria milia equitum; Diodorus tradit Macedones ipsos inflammasse urbem Agalassensium (verius ut mihi quidem videtur), Curtius Macedones extinguisse flammas ab incolis incensas (fictum, quod Alexander praesidium in arce reliquit et verisimile est Macedones postea eam restituisse). saepius igitur valde inter se discrepant hoc loco Curtius Diodorusque.

mirus ille describitur populus: pelles ei erant pro vestibus, clavae pro armis. etiam bubus et mulis clavae nota erat inusta.[302]) maiores ad Herculem usque ortum rettulisse narraverunt. nescimus num quae de illis feruntur omnia auctores finxerint. eadem res est de his atque supra de Nysaeis: aliquantulum certe nuntiis veri inest. memoria permanserat illi genti regis prisci qui similiter ut tum Alexander in Indiam invasit hic illic relinquens milites colonos terrae subactae. refectis deinde navibus Nearchum ad Mallorum fines iussit navigare ipse in barbaros movet qui se non dederant habitabant ut videtur in dextra ripa Acesinis circa Nuwakut urbem. nam CCL stadia aberant a flumine. totam regionem vastavit Alexander, urbem capitalem corona cepit.[303]) iam ad classem reversus aliis exercitus partibus nondum aggressis cum audiret rex trans Acesinem Agalassensium[304])

---

302) v. Curtium IX,4,3. Arrian. Ind. V,12. Strab. XV p. 688. Diod. XVII 96.

303) hoc solus tradit Curtius IX, 4,4. in narratione conexui nuntios Curtii, Arriani, Diodori.

304) nomen gentis hoc servavit Diodorus XVII,96, Indicum ignoratur; quid faciendum sit Iustini (XII, 9) Hiacensanis statim videbimus. Orosius Histor. III, 19 Gessonas appellavit. ceterum in ripa Acesinis sinistra habitavisse videntur Agalassenses illi (cf. Lassen II p. 177. Hertzberg II, 303). non obstat Arrianus VI, 5,4, qui sane dixerat ad ripam dextram primo naves appulisse Alexandrum; sed cum ex verbis eius: *αὐτὸς δὲ τῶν βαρβάρων τῶν οὐ προσχωρούντων καταδρομὴν τῆς χώρας ποιησάμενος* appareat, alios ibi se subiecisse (Sibas videlicet Diodori), cumque adiciat *καὶ κωλύσας ἐπικουρῆσαι αὐτοὺς τοῖς Μάλλοις* — subvenire autem non bene poterant, nisi in sinistra Acesinis fl. ripa habitabant —, ex Arriano concludi licet, aut priusquam Nearchum cum classe praemiserit, aut (quod mihi collato Curtio potius videtur) ad praemissum Nearchum Alexandrum reversum ipsum navibus Acesinem inf. transvectum esse. Curtius narrat IX, 4,5: 'XL peditum milia gens (h. e. alia atque antea) in ripa fluminum opposuerat; quae amne superato in fugam compulit.' de tertia urbe tale quid tradit IX, 4,8: 'arx erat oppidi intacta, in qua praesidium dereliquit, ipse navigiis circumvectus arcem. quippe tria flumina . . . munimento arcis applicant undas. a septentrione Indus alluit, a meridie Acesines Hydaspi confunditur' (sic cod.). de fluminibus Indo Acesine Hydaspe sane errat auctor Curtii; tamen veri tantum inesse videtur in eius nuntio, ut arx illa inter duo flumina, quae infra eam coeunt, sita fuerit et Alexander ipse cum classe (vel parte classis) eam circumvectus sit. iam si Shorkot (vel Shûr) urbem et arcem illam fuisse putabimus, sita erat inter duo flumina atque radices illius montis dici poterant allui duabus a partibus, alter fluvius erat Acesines (Hydaspe recepto), alterum Cunningham (ch. VI) Ayak nominat. monet hoc nomen fortasse de Agalassensibus Diodori, fortasse etiam Iustini Hiacensani (nisi mavis Aiacensani) eodem referendi sunt. influit Ayak in Acesinem paullo infra Shorkot urbem et spatium tantum est ut infra Shorkot unum vel duo oppida minora sita fuisse possent inter Acesinem et Ayak (cf. Curt. 'inclusosque moenibus expugnat. alteram deinde urbem etc.' Diod. *συμφυγόντας εἰς τὰς πλησίον πόλεις*). porro Curtius priusquam amnem superaverit (ut Agalassenses aggrederetur) CCL stadia a Soborum regione excessisse Alexandrum narrat. si Sobos eius circa Tschubrai ad confluentes Acesinem et Hydaspem consedisse sumimus, CCL stadia egressus Alexander prope urbem Nuwakut erat. regione illa vastata et capite eius corona capto iam reversus Acesinem circa urbem Pir-Abdul-Rahman nostratium attigisse videtur, ubi e regione contraria Ayak fere influit in Acesinem. ibi amnem Acesinem superavit rex atque inter duo flumina ('in ripa fluminum' Curt.) 'quadraginta milia' illa collocata repperit. iam oppido capto alteram urbem Shorkot aggressus est eamque captam munivit. nam Cunningham (etiamsi in aliis falsus est) hoc

gentem satis validam arma cepisse ac multa milia militum in ripa fluminum Acesinis et Ayak collocavisse, ne illi Mallis, quos ipse deinde aggressurus erat, auxilium ferre possent[305]), prope urbem nostratium Pir-Abdul-Rahman Acesinem transmisit et ad Agalassenses duxit. quorum partem ad pugnam paratam[306]) facili opera debellavit, urbem proximam[307]) quo fugerant expugnavit, ipsos servos vendidit. alios in magnam urbem fugientes multos[308]) interclusit urbemque ipsam — erat ut videtur Shorkot urbs — oppugnavit. cumque fortiter se defenderent Indi atque multos milites Alexander amitteret, iam incendit urbem expugnatam ac plerosque in ipsa combussit.[309]) reliquorum paene tria milia in arcem confugientium deditione recepit.[310]) in ipsa arce ab igni non laesa praesidium reliquit[311]), urbem postea refecit. iam ad stationem classis reversus ibi Craterum Hephaestionem Philippum cum suis quemque militibus repperit.[312]) atque Cratero in dextra Acesinis ripa procedenti elephantos adiunxit ut videtur, ne ipse eis in bello cum Mallis gerendo impediretur, et Polysperchontis legionem et hippotoxotas[313]) et Philippi copias.[314]) Nearchum vero cum

---

certe recte monuit, Shor-kot vel Shûr urbem eandem esse atque Alexandriam Sorianen quam in India Stephanus Byzantius commemorat (v. Cunningh. p. 204 et 206). copiam quoque nummorum ex altero a. Ch. saeculo Graecorum ibi esse inventam.

305) hoc Arrianum VI, 5,4 secutus affero.

306) fortasse numeros augent Diod. XVII, 96, 3 et Curtius IX, 4,5, qui quadraginta milia peditum Alexandro narrant occurrisse; addit Diodorus etiam tria equitum milia. sane non debilem fuisse gentem ex Arriano licet cognosci, quo teste Mallis ne subvenirent Alexander veritus est.

307) Curtius fortasse rectius unam urbem numerat IX, 4,5, Diodorus l. l. minime duas (*πόλεις*).

308) Diodorus l. l. viginti milia numerat.

309) ita Diodrus rem narravit.

310) vide Diod. XVII, 96,5.

311) v. Curt. IX, 4,8.

312) in sequentibus iam Arriano duce utor VI. 5,5 sq.

313) adduntur in codicibus Arriani VI, 5,5 *ἱπποτοξόται*, sed eosdem ipse Alexander postea secum abduxit. Sintenis in adnotatione ad VI, 6,1 se nescire confitetur, quo loco aut auctorem Arrianum aut librarium qui *ἱππακοντιστὰς* altero loco debuerit scribere, errare putemus. Droysen II p. 177 omisit priore loco omnino *ἱπποτοξότας*. sed cum diversorum non inveniantur hoc loco auctorum nuntii (ut Aristobulus fortasse nuntiaverit hippotoxotas adiunctos esse Cratero, hippacontistas omnes secum abduxisse Alexandrum, Ptolemaeus omnes hippotoxotas secum Alexandrum abduxisse tradiderit) cumque hippacontistarum et hippotoxotarum genera fuisse diversa putem, posteriore loco pro *τοὺς ἱπποτοξότας* scribendum proponam *τοὺς ἱππακοντιστάς* (coll. III, 24,1; 25,6. 29,7. IV, 23,1; 25,5; 267 al.).

314) nescio quo iure potuerit Droysen II p. 177 scribere: mit den Truppen des Philippus, die den Hydaspes oberhalb seiner Mündung übersetzten etc. etiam Hertzberg II p. 305 eadem refert; p. 304 haec dicit: inzwischen waren auch seine übrigen Truppen, die Division Kraterus bei dem Schiffslager, die Divisionen Hephaestion und Philippus an der inneren Seite der Mündung des Hydaspes in den Acesines angelangt. legimus sane apud Arrianum VI, 5,5 *καὶ Φίλιππον ξὺν τῇ ἀμφ᾽ αὐτὸν στρατιᾷ διαβιβάσας τὸν Ὑδάσπην ποταμόν*. sed hoc *διαβιβάσας* non modo ad Philippi copias referri debet sed etiam ad elephantos et Polysperchontis legionem. videamus vero ubi omnino tum Alexandri castra posita fuerint. legimus apud Arrianum VI, 5,4 Alexandrum periculoso illo loco ubi fluvii Hydaspes et Acesines confluunt superato navigiisque refectis Nearchum iussisse navigare *ἔστ᾽ ἂν ἀφί-*

classe misit utque trium dierum itinere Craterum praeverteret imperavit. reliquum iam exercitum in tres partes divisit: quarum primam Hephaestioni subdidit, mandans ut quinque dierum iter secundum Acesinem progrederetur; hoc enim modo si qui ipsum in transversum aperte appropinquantem fugerent, in Hephaestionem incidentes captum iri sperabat. parti alteri praefecit Ptolemaeum quem tribus diebus post ipsum digressum Hephaestionem sequi et retroversum fugientes excipere iussit. ipse tertiam partem duxit. mandato eis qui praecessissent, ut cum ad Acesinem Hyarotimque confluentes pervenissent subsisterent atque ipsum Ptolemaeum et Craterum in ripa adversa admoventem expectarent, hypaspistis adsumptis et sagittariis Agrianisque et pezhetaerorum legione una, cui Pithon praefectus erat[315]), atque hippacontistis omnibus equitumque amicorum parte dimidia in Mallos duxit. gens Indica erant Malli, liberae civitates regibus non subditae; habitabant[316]) circa Hyarotim fluvium inferiorem

κηται ἐπὶ τὰ ὅρια τοῦ Μαλλῶν ἔθνους. ipse interea in Sibas Agalassesque movit. iam redit ad classem — ad fines igitur regionis Mallorum — ubi Craterum repperit et Hephaestionem et Philippum. certe iam aliquot stadia a confluentibus amnibus in meridiem totus exercitus processerat atque Philippus ipse iam aderat. cumque fluvius infra confluentes nominaretur *᾽Ακεσίνης* (Arr. VI, 5,5) aut pro *τὸν ῾Υδάσπην ποταμὸν* scribendum *τὸν Ἀκεσίνην ποταμόν*, aut *῾Υδάσπην* tamquam nescientis librarii additamentum delendum (iam Kruegerus *τὸν ῾Υδάσπην ποταμὸν* uncis incluserat). *διαβιβάσας τὸν ποταμὸν* ei qui rem tenet attente, satis esse debuit; itaque Arrianus certe omisit nomen addere fluvii.

315) videtur Cliti haec legio olim fuisse. Antigenes enim Coeni in ducenda legione successor mihi videbatur in supra expositis.

316) si Curtium Diodorumque audis, infra Indum Acesinemque extitere confluentes. rectius atque clarius Arrianus illorum sedem indicavit in exped. Alexandri. in Ind. 4,10 ex Megasthene adfert *ὁ δὲ Ἀκεσίνης ἐν Μαλλοῖς ξυμβάλλει τῷ ᾽Ινδῷ.* dubium tamen, num tam late fuerint fines Mallorum in meridiem versus propagati. nam vide Arr. VI, 14,3 *᾽Αλέξανδρος δὲ σατράπην μὲν τούτοις τε* (Oxydracis) *καὶ τῶν Μαλλῶν τοῖς ἔτι σωζομένοις ἐπέταξε Φίλιππον*, ac postea VI, 15,2: *Φιλίππον μέν δὴ τῆς σατραπείας ὅρους ἔταξε τὰς συμβολὰς τοῦ τε ᾽Ακεσίνου καὶ ᾽Ινδοῦ.* Mallos igitur antea non ad coeuntes amnes illos voluit extendi. Strabo XV p. 701,33 haec scripsit: *ἡ δὲ μεταξὺ τοῦ ᾽Ινδοῦ καὶ τοῦ ῾Υδάσπου εἴρηται σχεδόν τι ὑφ᾽ ὧν οἰκεῖται τῶν ἀξίων μνήμης. κάτω δ᾽ ἑξῆς εἰσιν οἵ τε Σίβαι λεγόμενοι καὶ Μαλλοὶ καὶ Συδράκαι μεγάλα ἔθνη.* neque enim verba eius necesse est ita accipere, quasi intra Indum et Hydaspem populi Sibae Malli Sudracae habitaverint. nil obstat quominus hunc Strabonis nuntium in meam sententiam supra dictam de Mallis Oxydracisque adhibeam. ceterum Mallos priore loco commemorat ut etiam Arrianus (cf. VI, 4,3 inque primis VI. 11,3 qui idem a Cathaeis egressus primos Oxydracas, tum Mallos nominat V, 22,2. cf. Ind. 4,9) Iustin. XII, 9. Curtius autem IX, 4,15: 'inde ventum est in regionem Sudracarum Mallorumque.' de Mallis nihil refert — nisi mavis ad eos referre (et sane ad Oxydracas coniunctos) quae narrantur IX, 4,25; iam in urbe Sudracarum Alexandrum vulneratum esse tradit (§ 26), quod apertis verbis refellit Arrianus VI, 11,3. cf. Strabon. XV, p. 701. elucet tamen etiam ex Curtio primos ad Acesinem fuisse Mallos, ad orientem versus habitasse Sudracas. Similiter ut Curtius narrat Diod. XVII, 98: *μετὰ δὲ ταῦτα στρατεύσας ἐπὶ Συρακούσας καὶ τοὺς ὀνομαζομένους Μαλλούς.* tamen in sequentibus differt hic illic a Curtio. *Μαλλοὺς* omnino non iam commemorat. *ὁ δ᾽ Ἀλέξανδρος τῇ πρώτῃ πόλει πλησιάσας* — erat ea in qua rex graviter vulneratur —, et si positionem verborum *ἐπὶ Συρ. καὶ τοὺς ὀν. Μαλλοὺς* respicias, secundum auctorem Diodori non erat urbs Mallorum sed Oxydracarum in quam Alexander desiluit; sed Oxydracae, quos

et Acesinem. circa Hyarotim medium (Shurukpur) ad Hyphasim usque Oxydracae consedebant principibus subditi.[317]) ultra eos circa

Syracusas nominat, secundum illum habitabant ante Mallos si ab Acesine eos aggrediaris. erravit sane, ut etiam Megasthenes erravit si Arr. Ind. 4,9 Acesinem cum Hydaspe in Oxydracarum finibus tradit coire (nisi forte rectius servatur codicum lectio *Οὐδράκαις* v. ed. Muelleri). Plinii nuntium N. h. XII, 12: 'in Sydracis expeditio Alexandri termino' ad accolas Sydri vel Hesydri fluvii superioris referendum esse supra iam monui (adn. 267); tamen si eosdem cum Oxydracis esse malis quia in codicibus nonnullis Strabonis legantur Sydracae vel Sidracae (uno loco Hydracae) pro Oxydracis aliorum codicum (vide Kramerum in editione Strabonis III p. 206 adn.) Plinii auctor Oxydracas socios Mallorum ad Hyphasim usque superiorem voluisset habitare. Claudius Ptolemaeus VII, 60 urbem trans Indum sitam commemorat *Ξοδράκην*. Lassen III p. 145 caput hanc fuisse suspicatur Xudracarum ab Alexandri Magni rerum scriptoribus nominatorum. recte ut mihi quidem videtur; neque tamen bene eam extitisse putavit inter Hydaspem et Acesinem paullo supra eum locum ubi se committunt ambo; ductus videtur Ariani nuntio incerto Ind. 4,9 Megasthenis. urbem ubi Ptolemaeus sitam voluerit esse definiri certo nequit propter numeros codicum nimis incertos. extat hodie urbs satis magna prope Lahore in occidentem versus urbem in ripa dextra Rawi (Hyarotis) fluvii, Schuruk-pur nominata (vide Diodori *Συρακοῦσαι*). ea Oxydracarum olim caput esse poterat. Cunningham etiam circa Ajudhan (Pak-pattan) et Debâlpur Sudracas habitasse putat. 'This part of the Doâb is still known as Surât-des, a name which recalls the Syrakousae of Diodorus and the Sudrakae and Oxydrakae of other Greek writers' p. 214. Strabo XV p. 701 quod *συγγενεῖς* et p. 687 *ἀπογόνους* Dionysii appellat Sydracas, equidem de hac cognatione certius nil possum proferre quam quod Cunningham p. 215 monuit, d illud nominis a Graecis impositum esse: Surakai the descendants of Sura esse genuinam formam graece. Diodori Syracusas derivat Cunningham from the Sanskrit surâ 'wine' and Kusa 'mad or inebriated.' Chares Mytilenaeus novit deum Indorum Soroadeios = Suryadêvâs = *Ἥλιος θεός*, quem ille interpretatur *οἰνοποιόν* (Mueller, Char. frgm. p. 117,13) = surâ dêvâs = vini deus. ceterum Surya deum eundem esse confirmaverim cum Dionysio. Dionysios enim Graecorum est deus diei et noctis, idem qui *Ἥλιος* et Sol. compares autem locum hymni vedici in Surya deum I, 115 cf. Lehmann Gesch. d. a. Ind. p. 58: Ja schön sind sie des Surya falbe Rosse . . . die in einem Tag um Erd' und Himmel kreisen. Das ist des Surya Macht, der mitten in dem Werk seine Gespanne einhält. Doch wann vom Gestelle er die Falben losschirrt, dann breitet Nacht die Hülle über alles. So kehrt zu Varunas und Mitras Anblick Im Himmelsschooße Surya seine Form um. Ohn' Ende tragen ihm dann lichte Helle — dann Dunkel seine falben Ross' zusammen. Arrianus, qui fortasse solus nominat Oxydracas, de cognatione eorum cum Surya deo nihil refert, tamen ipsos loquentes facit ex Dionysii temporibus ad Alexandri Magni tempora se fuisse liberos (ex Aristobulo?) cf. VI, 14,2. Strabo XV p. 697 denique narrat a Persis mercenarios Indos Hydracas (vel Sydracas) adhibitos esse; qui videntur iidem esse cum Sudracis vel Oxydracis nostris.

317) de Oxydracarum nomine vide adn. antecedentem. principes eorum commemorantur ab Arriano VI, 14,1 *ἡγεμόνες τῶν πόλεων καὶ οἱ νομάρχαι αὐτοί, βασιλεῖς* eorum a Strabone XV p. 688 in.

318) de hac regione quae intra Acesinem et Hyarotim supra confluentes extat intra Shorkot et Tulumba urbes fere cf. Lassen p. 179 adn. 1 Cunningh. p. 209 (beyond the Ayak).

319) ita satis probabiliter Arrianus refert VI, 11,3. Curtius IX, 4,15 nonoginta milia iuniorum peditum et Oxydracarum et Mallorum in armis fuisse tradit, praeterea equitum X milia, quadrigas nongentas. Diod. XVII, 98,1 *κατέλαβε τοὺς ἐγχωρίους (Ὀξυδράκας καὶ Μαλλοὺς) ἠθροικότας, πεζοὺς μὲν πλείους τῶν ὀκτακισμυρίων, ἱππεῖς δὲ μυρίους, ἅρματα δὲ ἑπτακόσια* scripsit. Iustinus XII, 9 peditum LXXX milia, equitum LX (sed rectius scribetur X) milia numerat; populos vocat Ambros et Sugambros, quod librariorum culpa depravatum est ex 'Mallos et Sudracas.' iam quod numerum illum ingentem militum attinet, poterant fortasse tantum militum copiam in proelium ducere populi illi duo coniuncti; nam restiterant



urbes nostratium Lahore et Amritsar Cathaeos terram colere supra cognovimus. hi tres populi paullo antequam Alexander aggressus erat Porum Abhisaremque defenderant. tum Cathaei quidem victi erant ab Alexandro, sed Oxydracae Mallique conspirabant et coniuncti proelium inire statuerant. Alexander vero qua solebat usus celeritate atque itinere per regionem aqua carentem aridamque facto[318]) prius advenerat quam copias conexerant.[319]) ac primo quidem die praeter fluvium parvum — Ayak ut videtur — centum fere stadiis ab Acesine castra posuit[320]) ubi cum cenassent milites et paullulum se recreassent, quae quisque haberet vasa ex aqua fluvii replere iussit. atque reliqua diei parte et nocte sequente tota quadringenta fere stadia progressus sub lucem ad urbem pervenit, — erat fortasse urbs nostratium Kot Kamalia[321]) — in quam Mallorum multi se converterant.

---

antea Poro et Abhisari coniunctis; sed eos tum coactos fuisse Arrianus vehementer negavit. immo si locum inspicias ubi Alexander Mallos primo aggressus est — circa Kot Kamalia — situs est ille in ea regione ubi duo populi inter se attingunt: in orientem et septentrionem versus ab Schiraza urbe ad Schir-ghar et Schurak-pur urbes Oxydrakae, ab Kot Kamalia (num nomen de Mallis dubitat Cunningham p. 210) ad Multân urbem habitabant Malli: ac celeritate sua Alexander nondum coniunctos repperit duos illos populos, cumque a Kot Kamalia ad Multân urbem Mallos adiit, Oxydracas prohibuit coire cum Mallis solosque Mallos devincendos habuit. iam Curtii Diodorique auctores fabulam illam de Oxydracarum Mallorumque discordia fingunt: nam totum illorum exercitum discessisse referunt cum Alexander appropinquaret. bellabant inter se priusquam Macedones adventare putabantur (Curt. Diod.); cum autem nuntiaretur Alexander adducere copias per Acesinem devehens, pace celeriter facta (Curt. Diod.) dena milia virginum inter se in matrimonium dedere et accepere (Diod.), copias coniunxere (Curt. Diod.), neque iam procul ab illis Alexander castra posuerat (Curt.), cum nocte, incertum metune an seditione rursus exorta (ita Curtius; Diodorus scit causam: *πάλιν στασιάσαντες ὑπὲρ τῆς ἡγεμονίας*) diffugerunt. addidit Curtius ridicule: certe avios montes et impeditos occupaverunt, quorum agmen rex frustra persecutus impedimenta cepit.' montes in illis regionibus omnino non erant, colles fortasse; etiam reliqua quisnam crediderit? antea coniuncti Oxydracae et Malli Poro Abhisarique restiterant; tum discordia de principatu exorta eos deperdidit etiam antea inter se bellantes! non fallimur Arriano fidem habentes potiorem. aliter sane iudicavit Lassen II p. 178. quod praeterea Curtius solus scripsit — ne omittam —: 'Alexandri milites cognita hostium multitudine seditiosis verbis regem increpare coeperunt atque Alexander eos oratione delinivit et pugnae alacriores fecit' non magis credibile est, cum hostium multitudo omnino non adesset atque Alexander eas tantum copias secum duceret, quae cum eo omnia ausuri erant.

320) probabiliter Cunningham p. 185 p. 209 coniecit eum fuisse fluvium qui hodie Ayak-Nadî appellatur ab incolis. nam in orientem versus ab Acesine, sive a Shorkot urbe aggressus sive paulo infra, Alexander rivulum illum transire debuit circa centum stadia remotum.

321) 'Agalassa' hanc urbem nominat Droysen II p. 179; quod quo iure fecerit equidem nescio; nam quod adnotat: „so verwirrt beide (Curt. et Diod.) erzählen, so läßt sich in ihnen doch die Übereinstimmung mit Arrian noch herausfinden", equidem non sane reperio. omisit Droysen, quod alio omnino loco hanc Agalassium rem commemorant Diodorus et Curtius, non inter narrationes de Oxydracis Mallisque (cf. Lassen II p. 177 adn. 3). quod scit Droysen scribens p. 176: die Siber und Agalasser den Mallern und Oxydrakern, von denen sie der Akesines trennte. ceterum num Mallorum urbs eadem fuerit quae hodie Pinde-Schaich-Moosa est, dubium videtur. siquid liceat suspicari urbem eo fere loco


qui cum Alexandrum per aridam illam inter ipsos et Acesinem sitam regionem adducturum esse non sperassent, extra urbem plerique sine armis vagabantur. ac subito cum equitatu in illos impetum rex fecit maximamque fugientium partem occidit.[322]) reliquis iam in urbem licuit evadere. quam confestim equitibus in orbem positis — nam pedites nondum advenerant — quasi vallo cinxit. cumque iam pedites accessissent, Perdiccam cum propriis et Cliti equitibus et Agrianis ad aliam Mallorum urbem in quam magnam audiverat Indorum se recepisse multitudinem emisit obsidendam. imperavit autem ut urbe compulsos tenerent curarentque nequi effugientes ceteris Indis accessisse Alexandrum nuntiarent: urbem oppugnari vetuit. iamque primam quam adierat urbem rex ipse coepit oppugnare. hostes, cum multi caesi multi vulnerati inutiles essent ad pugnandum, murum deserunt diutius eum se posse defendere desperantes, in arcem se vertunt atque aliquantulum temporis ex loco altiore atque aditu difficili resistunt. cum tamen undique Macedones fortiter arcem oppugnarent et Alexander ipse hic illic certans milites adhortaretur excitaretque, arx vi capta est atque omnes qui eo confugerant caesi sunt; erant duo fere milia.

Perdiccas urbem, quam ut obsideret missus erat, ab incolis derelictam repperit. ipsos cum non multo ante fugisse audisset e vestigio cum equitibus secutus — levius armatos quam possent celerrime iusserat pedibus uti sequentes — omnes mandavit necandos. multi tamen in paludes effugere.

---

putarim extitisse ubi hodie extat Kot Kamalia (cf. Cunningham p. 208 sq.) altera urbs, ad quam Perdiccas movit, possit esse Kattia. Harrapa urbem fuisse Cunningham arbitratur I p. 211 sq. sed Harrapa in sinistra Hydraotis ripa sita est. ipse Alexander inde a Kot Kamalia, via qua etiam nunc utuntur, orientem versus ad Hyarotim tota fere nocte certe septem fere milia geographica progressus (πολλὴν ὁδὸν Arr.) — alia nocte priore et diei antecedentis parte decem milium iter fecerat — venit atque ad eum locum ubi fluvius transmittebatur. qui locus esse possit e regione urbis quae hodie Fatih-pur (prope Gugerat) vocatur. Cunningham sane p. 226, cum ad Multâm urbem regem vulneratum esse statuat, urbem, quam transmisso flumine Hyaroti Alexander expugnavit, Tulumba hodie appellatam fuisse suspicatur. spatium fere convenit, ac si consilium Alexandri respicimus — voluit Mallos solos aggredi eosque et Hephaestioni et Ptolemaeo propellere, qui secundum Acesinem incedebant —, credi posset, non in orientem versus eum a Kot Kamalia processisse. sed si Tulamba alteram urbem esse sumimus cetera non iam quadrant. porro fugientes Mallos ad Oxydracas se vertisse verisimilius est, quam ad Acesinem. ita facilius etiam explicetur, cur in Oxydracis Alexandrum vulneratum esse non nulli rettulerunt. quare equidem regem prope Fatih-pur Hyarotim transisse putarim; in sinistra fluminis ripa deinde revertit per urbes Harrapa, Tschitschawutni, Tulumba; prope postremam iterum Hyarotim transgressus est. urbs igitur in qua vulneratus est, in dextra ripa Hyarotis sita erat.

322) immerito horum dierum itinera (h. e. nuntios et numeros Arriani) in suspicionem vocavit York von Wartenburg p. 68. atroces pugnae omnino ibi factae non sunt, cum hostes, celeritate Alexandri quasi obstupefacti, non fortiter resisterent. ceterum Alexander cum equitatu semper longe processit, pedites tardius successerunt.



Ipse Alexander cum cenassent milites et usque ad primam vigiliam quievissent profectus totam per noctem processit magnoque itinere sub lucem ad Hyarotim fluvium e regione Fatih-pur urbis venit, ubi plurimos Mallorum fluvium iam superasse cognovit; alios transmittentes in ipso vado aggressus maximam partem occidit. iamque confestim ipse eodem vado traiciens impetum fecit in eos qui antea transgressi erant. quorum multi caesi, multi capti sunt. plerique tamen in oppidum et opere et natura munitum se recepere. atque in hos rex, postquam pedites advenerunt, — nam ipse cum equitibus tantum hostes fugaverat —, Pithonem mittit cum duabus equitum hipparchiis. quae primo impetu oppidum expugnant. omnes qui in eam confugerant, exceptis qui in expugnatione caesi sunt, veniere. ipse interea Alexander in Brahmanorum quandam urbem duxerat, cum in hanc quoque Mallos se vertisse multos audivisset.[323]) ad quam cum venisset, densam peditum aciem undique muro adduxit, atque oppidani cum murum suffodi cognoscerent ipsique telis valde premerentur, mox murum relinquunt inque arcem fugiunt quam defendunt. quibuscum Macedonum pauci una in arcem penetraverunt. cum tamen parum multi ad hostium numerum essent, pedem referre coacti sunt. atque viginti quinque occisi. iam suorum stragem Alexander ulturus omni ex parte scalos moenibus arcis iussit admoveri moeniaque suffodi. et parte suffossa moenium et turris concidit et pars interturrii perfracta est: ubi cum facilius arx adiri posset, ipse primus ascendit ceterique Macedones alii alio loco arcem conscendunt. expugnata ita acriter ea, Indorum pars aedificia inflammaverunt inque illis ipsi mortui sunt. plerique tamen inter pugnandum necati. perierunt autem in universum quinque milia, vivi ob fortitudinem pauci capti. exercitum ut reficeret unum illic diem Alexander moratus est; postero die in reliquos duxit Mallos secundum Hyarotim in sinistra fluminis ripa circa urbem nostratium Tschitschawutni habitantes. atque urbes repperit desertas incolas in regionem desertam vastamque aufugisse cognovit intra urbes Tschitschawutni et Multân sitam[324]): rursusque unius diei quietem Alexander condonans militibus altero die Pithonem et Demetrium hipparchum cum suis militibus leviusque armatorum legionibus quot satis videbantur adiunctis ad amnem remisit, qui ad ripam progressi

323) Cunningham p. 228 Brachmanorum urbem eam esse putat, quae hodie Atâri nominatur (the old ruined town and fort of Atari). probabile esset, si Mallorum urbs in qua rex vulnus accepit, Multân esset; quod cum negarim (v. infra adn. 325), ne Atâri quidem illam Brahmanorum urbem fuisse putabimus: errat praeterea Cunningham Diodori XVII, 96, 4 Curtiique IX, 4, 6 urbem cum hac comparans. fortasse Harrapa nostratium urbs illa Brahmanorum erat aut prope eam quaerenda est.

324) ἡ ἔρημος quae ab Arriano VI, 8, 1 commemorata est, ea est, quae a Multân urbe ad orientem se extendit. cf. Burnes: Reisen II p. 601, Hertzberg II p. 309. in illam regionem desertam incolae Hyarotis fluvii bene se receperunt Alexandro ab Harrapa urbe in occidentem procedente.

eos qui in silvas ripae multas adsitas se abdiderant interficerent, si qui non sponte se dederent, ac multos in silvis Pithon Demetriusque ceperunt et occiderunt. interea rex ipse in Mallorum urbem maximam duxerat, in quam ex aliis quoque urbibus — id quod solebat semper fieri — multi se convertisse nuntiabantur. sed etiam hanc — videtur Tulamba fuisse — cum Alexandrum appropinquare audissent, Malli deseruerant. qui Hyarotim fluvium transgressi in fluvii ripa dextra, quae alta erat, consederant, tamquam transitu prohibituri Macedones. quo comperto rex omnes qui sequebantur equites adsumens ad Hyarotim movit, ubi Mallos aciem instruxisse delatum erat. pedites e vestigio iussit sequi. cumque ad fluvium veniret atque hostium in adversa ripa aciem constitutam cerneret, confestim vadum cum equitibus solis ingressus est; quem Malli in medio iam flumine cum viderent, celeriter sed ordine priore servato a ripa recessere. flumine superato nemine inhibente, Alexander cum solis equitibus hostes persequitur. quod cum viderent illi, conversi acriter pugnant: quinquaginta fere milia hominum erant. quorum numero et acie densa Alexander conspecta nequaquam pugnam cum solis equitibus inire constituit, sed obequitantes hic illic impetus facere iussit neque tamen manus conserere priusquam pedites adessent. non multo post Agriani aliaeque levius armatorum legiones quas selectas secum ducebat et sagittarii adveniunt neque procul inde phalanx peditum cernitur. iam Indi, omnia pericula cum imminerent, inire proelium non ausi in urbem proximarum munitissimam confugiunt.[325]) fugientium Alexander

---

325) huius urbis expugnationem solam de totius belli Mallensis rebus gestis Diodorus Curtiusque referunt. ac Diodorus minime diligenter scribit XVII, 98, 2: *ὁ δ' Ἀλέξανδρος τῇ πρώτῃ πόλει πλησιάσας κτέ.* in Mallorum regiones eam urbem extitisse Arrianus claris verbis dixit atque eos vituperavit, qui in Oxydracis conditam fuisse putaverunt; inter quos etiam Curtii auctor est (cf. IX, 4, 26) utque videtur etiam Diodori. nam hic narrat l. l.: *ὁ δὲ Ἀλέξανδρος τῇ πρώτῃ πόλει πλησιάσας.* antea autem priores Oxydracas commemoraverat § 1: *στρατεύσας ἐπὶ Ὀξυδράκας καὶ τοὺς ὀνομαζομένους Μαλλούς.* Clitarchum fortasse narrationis huius auctorem putabimus recte ex Stephano Byzantio concludentes, qui s. v. *Ὀξυδράκας* refert Ptolemaeum Alexandrum servasse: posterior autem nuntius a Clitarcho primo auctore traditus est. cf. quae infra suo loco dixerim. Masson: Narrat. of various Journeys I p. 402 quae hodie est Kot-Kamâlia urbs, illam existimavit fuisse urbem, ubi Alexander graviter vulneratus est. Cunningh. I p. 237 Multân, quae hodie iam extat urbs ad Acesinem sita paullo infra Hyarotim et Acesinem hodie confluentes, eam putavit (erravit Lassen II p. 179 adn. 3). Burnes: Reisen II p. 416 f. Multân veterem Mallorum caput fuisse putat, neque videtur eam sumere, quam *τὴν μεγίστην* Mallorum urbem Arrianus vocat VI, 8, 4, sed eam quam Alexander oppugnans sagitta paene ad mortem ictus est. probaverat Burnesium iam Wilson Ariana Ant. p. 200. sed (conexis Curtii et Diodori narrationibus) quattuor dies Hyaroti secundo Alexander vectus ad Nearchi Hephaestionisque castra venit; quae ad confluentes Acesinem et Hyarotim posita erant cf. Arr. VII, 13, 1; 14, 4. iam Hyarotim olim non eodem loco quo nunc, sed paullo infra Multân urbem Acesini se commisisse, ita ut arx urbis Multân in insula quodammodo Hyarotis fluvii vetere condita esset, Cunningham narravit l. l. I p. 238, Survey V p. 136. castra igitur videntur non multo remota fuisse ab eo loco ubi hodie Multân invenitur. ac re vera Arrianus

multos occidit. urbem autem, in quam compulsi et conclusi erant — erat fortasse Schah-pur nostratium urbs — confestim equitibus cinxit, cumque pedites adessent, hoc quidem die urbi castra circumposuit, quod et parvum diei spatium ad oppugnandum reliquum fuisset et pedites itinere longo et persecutione longa et continua equi inque primis flumen transmittentes defatigati essent.[326]) postridie tamen exercitus divisi ipse cum altera parte, cum altera Perdiccas in moenia impetum facit. quae ne expectantes quidem Macedonum incursionem relinquunt Indi, atque in arcem ipsam se recipiunt. Alexander cum suis militibus porta parva refracta in urbem penetrat[327]) multo ante quam ceteris evenit in urbem irrumpere. Perdiccae enim milites parum diligenter urbem oppugnabant, cum eam iam ab Alexandro captam esse putarent. nam murus ab oppidanis videbatur desertus. quare etiam scalas segniter admovebant. cum tamen arcem urbis ab hostibus occupatam esse conspicerent et multos eam esse tutaturos cognoscerent, Macedonum alii murum suffodere, alii scalas quocumque loco opportuno admovere atque ita in arcem quoque irrumpere conati sunt. iam Alexandro milites in scalis arci opponendis visi sunt cunctari: quare quo erat animi fervore ipse scalam militi apportanti cuidam ereptam muro applicavit et scuto tectus iam ea in arcem ascendit.[328]) secutus est Peucestas

---

VI, 14, 4 narrat *ὀλίγον μέν τι τῷ Ὑδραώτῃ ποταμῷ κατέπλευσεν* (*Ἀλ.*). *ὡς δὲ συνέμιξεν ὁ Ὑδραώτης τῷ Ἀκεσίνῃ, μετὰ τὸν Ἀκεσίνην αὖ ἔπλει.* e quibus omnibus elucet, Multân non fuisse urbem ab Alexandro vi captam. ab incolis fortasse derelicta (cf. Curt. IX, 6, 3) ab Hephaestione occupari facile poterat. ubi sita fuerit urbs illa, in qua Alexander vulneratus est Droysen in operis sui altera editione non diiudicavit. certum hoc est: urbem in ripa Hyarotis dextra sitam fuisse. prope castra navalia eam extitisse per se vix credibile est (cf. Arr. VI, 12, 3; 13, 1). Curtius quattuor dies Hyaroti secundo Alexandrum tradidit vectum esse ad eum locum, ubi castra posita fuerint. (Arrianus spatium non indicat scribens: *καὶ πλέων κατὰ τὸν ποταμόν.*) non sane aquis tantum promovebatur navis, ut sumpsit Lassen II p. 179 adn. 3, qui male intellexit Curtium IX, 6, 1. hoc tamen concedemus quam cautissime remigare debuisse nautas. quam celerrime autem prae valetudine posset navigasse eum verisimile est, nam quam mox posset, voluit apud exercitum esse (vide Arr. VI, 13, 1). tres vel quattuor milium iter certe uno die fecit, si fluvium spectes. quattuordecim fere milium iter si facimus inde a Multân urbe adverso Hyaroti fluvio urbem reperiemus adhuc quaesitam. extat in illa regione urbs hodie Schah-pur vocata: regis urbs, posset nomen accepisse a rege Alexandro vulnerato ac diutius ibi versante (v. Arr. l. l. *ὅτε πρῶτον ἐδυνήθη κομίζεται ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ τοῦ Ὑδραώτου τὰς ὄχθας.* unde cognoscitur antea regem aut in urbe, ubi vulneratus erat, aut quod testantur Curt. IX, 5, 22, Plut. v. Al. 63, auct. Mett. epit. II, 77, prope eam sed non ad fluvium curatum esse). sed res incerta.

326) vatem quendam Demophontem ex avibus cognovisse se ferunt dixisse Alexandro, magnum regi malum imminere. quare ne hanc urbem oppugnaret monuisse. nihilo tamen minus Alexandrum statuisse statim urbem oppugnare. cf. Curt. IX, 4, 27. Diod. XVII, 98, 3. de duobus diebus ignorant.

327) Curtius IX, 4, 30 sq. ad urbis expugnationem refert, quod ad arcem pertinet; ignorat enim arcem.

328) Arrianus auctorem in his rebus sequitur Ptolemaeum. paulo aliter rem narrant auctor anonym. Mettensis II, 76 sq. et auctor Itiner. Alex. M. c. 115 et Pseudocallisth. III, 4 not. 12 p. 99 ed. Muell.; duo posteriores ex eodem fonte



sacrum scutum gerens, quod Alexander ex Palladis Iliacae templo sumptum in omnibus pugnis et proeliis prae se ferendum curabat. post hos Leonnatus somatophylax eadem scala subit in altum; altera Abreas quidam ex dupIariorum ordine. atque Alexander in summum murum cum venisset scuto hostes alios introversum retudit, alios gladio interfecit itaque murum suo quidem loco nudavit certantibus. sed iam hypaspistae de rege solliciti ne quid mali pateretur ab hostibus celeriter scalis[329]) qua via antea Alexander et comites tres ascenderant, murum conscendere conantur. sed cum nimis multi eniterentur, scalae fractae praecipites in terram deiecerunt aliisque ascendendi ademerunt facultatem. Alexander ipse in muro consistens et e proximis undique turribus arcis — neque enim appropinquare ei quisquam audebat — et ab hostibus qui in urbe etiam erant telis petebatur. neque posteriores longe ab eo distabant, cum agger illa parte muro propinquus exstructus esset. Alexandrum autem et armorum splendor et audacia prodidit inaudita. aliquantulum temporis cum telis ita ictus esset Alexander intellexit, si eodem loco permaneret, de vita se periclitaturum neque quidquam memoria dignum facturum. recedere ad suos de muro non bene potuit cum scalae fractae essent: amici rogabant ut ad ipsos desiliret stabantque excepturi.[330]) sed hoc imbelle et ignavum facinus Alexandro videbatur.[331]) itaque quae erat eius temeritas e moenibus in arcem desiluit, facto ipso fortasse hostes perterritum iri ratus, si periret certe se gloriam adhuc reportatam morte aucturum. atque pedibus se excipiens ad muri partem interiorem inclinans[332]) commi-

videntur hausisse: scalas omnes fractas esse excepta ea quam Alexander ad murum applicuerit. atque ea iam Alexandrum ascendisse. rursus aliter Plut. in vita Al. c. 63 scripsit: *πρῶτος δὲ διὰ κλίμακος τεθείσης ἀναβὰς . . . ὡς ἥτε κλίμαξ συνετρίβη.* Plutarchus illo loco ex Aristobulo hausisse videtur, nam solus de pistilli ictu in cervicem Alexandri rettulit Aristobulus teste [Plut.] de fortitud. etc. Alex. orat. II c. 9. (cf. etiam Fraenkel p. 59, Lezium p. 139.) iam in ipso Arriano fortasse Aristobuli vestigium habes VI, 9, 4: ibi codices tradunt: *καὶ οἱ ὑπασπισταὶ ὑπέρφοβοι γενόμενοι ὑπὲρ τοῦ βασιλέως σπουδῇ ὠθούμενοι κατὰ τὴν αὐτὴν κλίμακα συντρίβουσιν αὐτὴν ὥστε κτέ.* unam hoc loco tantum *κλίμακα* novit Arrianus cum Ptolemaeus de duabus minime certe rettulerit cf. VI, 9, 3; 10, 1. (sane facili opera totus locus mutari posset: *ὠθούμενοι κατὰ τὴν αὐτὴν, κλίμακας συντρίβουσιν αὐτοὶ ὥστε κτέ.*) etiam Diodorus duas scalas fractas esse tradidit; paulo post Peucestam *δι' ἑτέρας* ascendisse refert.

329) sequor in his et sequentibus maxime Ptolemaeum (aut Eratosthenem cf. Lez. p. 140. Fraenkel p. 45); ceterum auctor quoque anonymus Mettensis epitomes scalas complures commemorat tresque comites Alexandri (II, 76); quorum unum nominat, Leonnatum (II, 77, cod. legatum).

330) cf. Curt. IX, 5, 1.

331) v. Diod. XVII, 99, 1.

332) a parte dextra haud procul muro arborem vetustam fuisse, cuius stipiti se rex applicuerit cuiusque rami missilia a parte dextra venientia exceperint, cum clipeus sinistram tutatus sit, Curtius tradit IX, 5, 4; idem fere Diodorus narrat XVII, 99, 2, qui addit, regem cum in genua concidisset, postea ramo arboris illius se sublevasse. cum tamen de arbore illa ne verbum quidem Arrianus fecerit, Ptolemaeus igitur nihil videatur de illa rettulisse, satis licet dubitare, num omnino extiterit. praeterea interest inter auctores illud quoque:

nus eum lacessentes nonnullos atque ipsum quidem Mallorum ducem audacius impetum facientem gladio necavit. in accedentem alium lapidem iecit eumque ita inhibuit. rursus in alium item lapidem iacit, cum autem proprius aggredi auderet ferit gladio.[333]) talibus factis editis gloriosis ad Alexandrum nemo iam ausus est accedere, sed circumstantes telis undique petebant. in hoc momento temporis[334]) Peucestas et Abreas duplarius ac Leonnatus qui soli regem priusquam scalae fractae sunt in moenia secuti erant ascendentes[335]), desiluerant

---

secundum Aristobulum Plutarchi (v. Al. c. 63) cum Alexander in arcem desiluisset hostes primo effusi fugerunt et aggressi sunt regem demum ipsum videntes cum duobus tantum hypaspistis (Peucesta et Limnaeo) adstantem. iam ab initio igitur certaminis illius in arce duo comites cum Alexandro erant (errat Lezius p. 139 affirmans Plutarchum cum Arriano congruere). similiter auctor Mettensis epitomes II, 76 narrat: celeriterque eo cum tribus ascendit ac muro potitus in oppidum desiluit ... quos ubi barbari conspicantes circumsteterunt, illi ad murum adplicati repugnantes multos occiderunt' etc. ceteri auctores omnes, etiam Arrianus, Ptolemaeum sequens, Alexandrum solum initio hostibus restitisse tradunt, facinus eius augentes (cf. etiam Lezium p. 139). sed ni omnia me fallunt, soli Aristobulo in hac quidem re fides habenda est. nam si revera Peucestes et Leonnatus et Abreas, quos nominat Ptolemaeus apud Arrianum, in murum arcis ascenderant (eodem loco ubi Alexander ascenderat hostesque reppulerat atque ipse in urbem desiluerat), priusquam fractae erant scalae, quidni statim post regem adiuturi desiluerint?

333) ita interpretanda sunt Arriani verba; tres igitur hostes erant in summa: primum et tertium necavit rex, secundum reppulit. erravit igitur Hertzberg II, 313 scribens: 'Zwei andere streckte der König durch Steinwürfe nieder; ein Vierter erlag wieder seinem Schwerte'. similis Droyseni error (II 184: 'ein Dritter, ein Vierter sinkt unter des Königs Schwert') et Lezii p. 60 ('Al. . . . ducem Indorum aliosque complures gladio lapidibusque interficit'). ceterum duos gladio ab Alexandro necatos Curtius novit IX, 5, 8 (ignorat hos Diodorus); et Diodorus et Curtius eum qui Alexandrum sagitta percusserit cum propius ad Alexandrum concidentem accederet, ab illo ferro ictum esse sciunt. quare de numero caesorum Curtius IX, 5, 12 recte potuit scribere: 'iacebant circa regem tria corpora'. ne hoc omittam: Arriani *ἡγεμών*, quem Alexander in arce occidit, atque Curtii dux Indorum (e gente Oxydracarum sumptus) ante pugnam certe non sunt eidem. auctor Mettensis II, 77 (qui totas res illas in universum similiter narrat Curtio Diodoroque), imperatorem Oxydracarum et Mallorum nominat Sambum. cumque Curtius scribat 'sed haud traditur metune an oborta seditione inter ipsos subito profugerunt barbari' (IX, 4, 25), Diodorus XVII, 98 *πάλιν στασιάσαντες ὑπὲρ τῆς ἡγεμονίας εἰς τὰς σύνεγγυς πόλεις ἀπεχώρησαν*, auctor Mettensis aliam scit causam II, 75: 'cum his paratus (Alex.) ut confligeret acie, ex Macedonibus quidam catapulta telum tripedale misit. id accidit ut eorum imperatorem Sambum utrumque femur transfigeret, uti procedere nequiret. id ubi barbari conspexerunt, perterriti ac fugientes se partim (in avios montes coniecerunt) partim in oppidum confugerunt'. res aperte ficta. nomen autem Sambi alterius illius ab auctore epitomes ea fortasse de causa hic affertur, quod et in Oxydracis Mallisque commemorantur Brahmani (eorumque urbs apud Arrianum; ipse auctor Mettensis brevi ante epistulam eorum ad Alexandrum scriptam tradiderat) et Sambus a Brahmanis vel gymnosophistis incitatus dicitur (cf. Plut. v. Al. c. 64). error igitur posset esse epitomes auctoris.

334) ita Ptolemaeus apud Arrianum VI, 10, 1. si Aristobulum sequaris iam aderant duo comites cum rex illa facta ederet. certe non multum temporis in iis consumptum esse verisimile est. (vide etiam Lez. p. 60.)

335) Curtius narrat IX, 5, 14 Peucestam per aliam oppidi partem regi auxilio venisse, quo viso Alexandrum in scutum concidisse. iam supervenisse Timaeum, deinde Leonnatum, postremo Aristonum. non multo post Timaeum

in arcem et ipsi pro rege iam dimicabant: atque Abreas quidem sagitta in faciem accepta periit. Alexander ipse per thoracem duorum cubitorum sagitta super mammam in pectus dextrum ictus est.[336]) quod vulnus Ptolemaeo teste tam grave erat ut una cum sanguine spiritum ex vulnere efflaret. tamen rex quamdiu sanguis calebat se defendebat. sed cum multus sanguis et continuus cum spiritu ex vulnere efflueret, vertigo eum et animi defectio corripuit: ita praeceps in scutum concidit.[337]) Peucestas celeriter regem sacro Palladis Iliacae scuto tectum tuebatur cum Leonnatus ex adversa parte hostes repelleret.[338]) sed ipsi telis feriuntur. ac tum paene Alexandro vita cum

---

cecidisse fortissime pugnantem. Leonnatum cervice graviter icta semianimem procubuisse ante pedes regis. etiam Peucestam tribus sagittis percussum vix sacrum scutum potuisse tollere. denique Aristonum quoque grave vulnus accepisse. Diodorus XVII, 99, 4 item Peucestam *δι' ἑτέρας κλίμακος* murum conscendisse tradit. ceteros non affert nominatim, sed complures praeterea auxilio venisse Alexandro scribit. Arrianus, qui exp. Al. VI, 11, 7, tradit auctores veteres de solo Peucesta in illo periculo Alexandrum adiuvante consentire, non iam omnes de Leonnato neque porro de Abrea, Ind. 19, 8 Peucestam tantum et Leonnatum commemorat, Plut. vit. Alex. c. 63 ex Aristobulo Peucestam et Limnaeum (nisi mavis corrigere Timaeum) quendam. posteriorem cecidisse. Ptolemaeum una cum Alexandro et Peucesta scalam conscendisse et iacentem in arce regem scuto protexisse obtento, indeque Soteris nomen postea accepisse tradi refert Arrianus VI, 11, 8. nominatim Curtius IX, 5, 21 Clitarchum (et Timagenem) dicit qui illud literis mandaverit. cuius commentum repetunt Pausanias I, 6, 2. Steph. Byz. s. v. *Ὀξυδράκαις*. [Plut.] de fortit. Alex. or. I c. 2. auctor Itinerarii Alex. M. c. 115 et Pseudocall. III, 4 not. 12 p. 99 ed. Muell. Peucestam cum Ptolemaeo commemorant. et Arrianus et Curtius (Trogum sequens?) vituperant illos cum Ptolemaeus ipse 'gloriae suae non refragatus' (Curt.) memoriae tradiderit afuisse se tum, in expeditionem missum (Curt.), cumque aliis barbaris pugnantem (Arr.).

336) dextrum latus commemorat Curtius, *εἰς τὸ στῆθος . . . ὑπὲρ τὸν μαστὸν* Ptolemaeus apud Arrianum; etiam quod Aristobulus addit apud Plutarchum l. l. c 63 *τὸ βέλος . . . τὸν θώρακα διακόψαν ἐμπαγῆναι τοῖς περὶ τὸν μαστὸν ὀστέοις* et postea: *τῆς ἀκίδος ἐνδεδυκυίας ἑνὶ τῶν ὀστέων* verisimile est; nam si intra costas telum infixum esset (*λέγεται δὲ τὸ μὲν πλάτος* (*τῆς ἀκίδος*) *τριῶν δακτύλων εἶναι, τὸ δὲ μῆκος τεσσάρων*, Plut. l. l.) et si pulmo dexter ipse tam gravi ictu violatus essset, rex vix sanari poterat.

337) ligno Alexandrum ad galeam ictum atque ita vortigine ei orta procidisse scripserunt alii teste Arriano (VI, 11, 7) cumque denuo surrexisset sagittam in pectus accepisse. Plut. v. Al. c. 63 praeter primum in pectus vulnus alia quoque multa vulnera Alexandrum accepisse narrat; postremo *πληγεὶς ὑπέρῳ κατὰ τοῦ τραχήλου προσήρεισε τῷ τείχει τὸ σῶμα βλέπων πρὸς τοὺς πολεμίους κτέ.* nominatim Aristobulus commemoratur ([Plut.] de fort. Alex. or. II c. 9) qui pistilli ictum in cervicem Alexandrum accepisse tradiderit. Ptolemaeus Arriano teste *ταύτην μόνην τὴν πληγὴν πληγῆναι λέγει τὴν ἐς τὸ στῆθος*. verisimile est Alexandrum alia quoque vulnera accepisse, quae cum leviora essent Ptolemaeus non commemoraverit, ne ictum quidem in cervicem, cum non ille regis valetudini periculosissimum esset, sed vulnus in pectore.

338) ita Arrianus rem descripsit. Diod. XVII, 99, 3 cum sagitta percussus sit tradit Alexandrum concidisse in genu; appropinquantem tamen Indum necasse. iam ramos arboris prehendens sese erexisse atque ad pugnam Indos provocasse. Curtius IX, 5, 10 Alexandrum moribundo similem fuisse refert, sed cum Indum manus corpori inicere sentiret, animo renovato nudum hostis latus mucrone petivisse. deinde clipeo se allevare conatum esse ut dimicans certe extingueretur. cum hoc facere nequiret, ramos comprehendisse dextra atque surrexisse, at

sanguine effugit. interea Macedones cum Alexandrum in arcem desilire viderent, metuentes ne quid mali rex temere periculum subiens pateretur, scalae cum frangerentur alii alias machinas ad murum conscendendum machinabantur. nonnulli palos in murum terraneum infixerunt unde pendentes difficulter subrepserunt, alii aliis insistentes ascenderunt. atque qui conscenderat confestim in arcem interiorem se coniecit ubi regem conspiciebant iacentem. cum eiulatu et ululatu omnes irruerunt. pugna atrox fit, Macedonibus aliis super alios regem obtentis scutis defendentibus. ac tum pars deleto vecte, quo porta quae inter duas turres erat continebatur, pauci introierunt, pars ubi porta distabat, humeros immiserunt[339]) atque introversum eam tundentes arcis aditum aperuerunt: iamque multitudinis irrumpentis pars Indos interficiunt ne mulieribus quidem aut senibus aut infantibus parcentes; alii regem in scuto iacentem efferunt in tabernaculum[340]) inscii adhuc num vivere possit. maxima cura lignum sagittae cum cuspide hamatili ex corpore exsecatur[341]), ubi magno sanguinis flumine effuso denuo rex animo linquitur: mori videtur; sed servatur. milites circa tabernaculum stabant taciti expectantes quid rege fieret. unusquisque quasi pater vel mater diem supremum obiret dolore affectus est. neque solum animos militum quos Alexander secum in Mallos duxit vulnera regis valde premebant, sed etiam ad eos quos reliquerat rumor aegroti atque adeo demortui regis delatus est. et omnes eiulabantur, alii aliis rem narrantes. lamentationis tamen cum finem fecissent animis demissis atque incertis erant, quis exercitum ex regione hostili in patriam reducturus esset, quonam modo ipsi servarentur, cincti omni ex parte a tot gentibus bellicosis, quarum acriter pro libertate pugnaturas putabant eas quae nondum Macedonibus subditae essent, defecturas alias Alexandri metu amoto. flumina quoque in medio exstare credebant, quae nequaquam possent transmitti, ceteraque omnia avia ab Alexandro destitutis. cumque rumor perlatus esset vivere

---

rursus in genua procumbentem manu iam hostes ad congrediendum invitasse. nimis rhetorice haec omnia ornata sunt. etiam hoc loco Plutarcho et Arriano, h. e. Aristobulo et Ptolemaeo potius credamus, qui Peucestam et ceteros affuisse dixerunt, priusquam Alexander tam graviter vulneratus est.

339) Kruegerus in editione Arriani hunc nuntium in suspicionem vocavit; sane non ita firmae illae munitiones fuisse videntur, cum etiam murus terraneus fuerit.

340) in tabernaculum ex Plutarcho (*ἐπὶ τὴν σκηνὴν ἐκομίζετο*) et Curtio IX, 5, 22 addidi recte. nam diem priorem ibi Alexander urbem obsederat teste Arriano; prope urbem igitur vulnus curatum esse verisimile est.

341) praeter Curtium IX, 5, 22 et Plut. in vit. Alex. 63 [Plut.] de fort. etc. Alex. or. II 13 fin. latius de exsectione sagittae disseruit, quos videas si lubet. alii Critodemum medicum Coum *τὸ γένος Ἀσκληπιάδην* sagittam exsecuisse tradiderunt, alii Perdiccam cum medicus non adesset (Arr. VI, 11, 1); Curtius IX, 5, 22 medicos ac 26 Critobulum medicum praestantissimum cunctantem tamen in tanto periculo et ab Alexandro monitum demum hoc munere functum esse memoriae prodidit. Critobulus quidam Philippum Alexandri patrem curaverat (cf. Plin. Nat. hist. VII, 37). num inde Critobulus pro Critodemo commemoratur?

Alexandrum, vix hoc quidem concesserunt ut putarent; neque tum eum posse vivere sperabant. quin litterae ab Alexandro ipso scriptae cum afferrentur mox in castra se venturum, incredibile plerisque videbatur ab Alexandro epistulam esse scriptam: a corporis custodibus praetoribusque confictam eam suspicabantur. quo rerum statu cognito Alexander ne quid novi in exercitu fieret, quam primum potuit[342]), ad Hyarotis amnis ripas ut deferatur imperat et secundo fluvio iunctis duobus navigiis[343]) quattuor diebus[344]) ad castra vectus est, quae ad Hyarotim paullo supra ipsum et Acesinem confluentes posita erant.[345]) Hephaestio ibi exercitui, Nearchus classi praeerat. aderat etiam Craterus paulisper, sed sine exercitu, et Ptolemaeus. cumque regis navis quarto die iam appropinquaret castris, tabernaculum e puppi auferri iussit, ut ipse omnibus appareret. at ne tum quidem Alexandrum vivum advehi crediderunt, sed corpus Alexandri exanimatum afferri arbitrati

---

342) septem diebus vulnus curatum Curtius IX, 6, 1 tradit. sed valde dubium, num vulnus tam grave tam paucos post dies ita sanatum sit ut Alexander secundo Hydraote amne vehi potuerit. apud Hephaestionis Nearchique milites sollicitudo de regis vita erat permagna et perturbatio animorum, ut Alexander classi exercituique scriberet, se mox venturum esse: quod non opus erat factu si post septimum iam diem profectus esset. scribendumne est 'septendecim diebus'? Diodorus enim XVII, 99 narrat: *ἐπὶ πολλὰς δὲ ἡμέρας τοῦ βασιλέως ἀσχοληθέντος περὶ τὴν θεραπείαν*, quae coll. Plut. Alex. c. 63 *καὶ πολὺν χρόνον ἐν διαίτῃ καὶ θεραπείαις ἔχων ἑαυτὸν* non ad illud tempus referenda sunt, cum in castris stativis ad Multân esset, sed ad prius tempus cum iaceret prope urbem Schahpur. — sed quod iam hic adferam: pessime pergit Diodorus: *οἱ κατὰ τὴν Βακτριανὴν καὶ Σογδιανὴν κατοικισθέντες Ἕλληνες ἐκ πολλοῦ μὲν τὸν ἐν τοῖς βαρβάροις κατοικισμὸν χαλεπῶς ἔφερον, τότε δὲ φήμης προσπεσούσης αὐτοῖς ὅτι τρωθεὶς ὁ βασιλεὺς τετελεύτηκεν ἀπέστησαν* . . . rectius hoc Curtius IX, 7, 1 'haec dum in India geruntur Graeci milites . . . circa Bactra, orta inter ipsos seditione defecerant'.

343) cf. Arr. VI, 14, 4. quod Curtius narrat (IX, 6, 2): 'secundo deinde amne defluxit aliquantum intervalli a cetera classe praecipiens, ne quies corpori invalido adhuc necessaria pulsu remorum impediretur'. certe 'classe' non sumi potest de classe illa magna vel parte eius, cum neque classis ulla Alexandrum secuta sit, neque ullam partem classis in superiorem Mallorum regionem advehi iusserit. videntur autem naves quaedam ex accolis conquisitae Alexandri amicos, corporis custodes praesidium parvum devexisse. aliquantum autem intervalli a ceteris navibus Alexander praecepit: 'ne quies' etc. quibus in verbis, ne in 'defluxit' quidem, non inest, regis navem (vel naves duas coniunctas) aquis solis promotam esse (quod sumpserunt Lassen II p. 179 adn. 3, Droys. II p. 187). nam naves sequentes remis certe promotae ('remorum pulsu' Curt.) mox regiam navem assecutae essent, tranquille cum aquis defluentem. tandem unius navis pulsus remorum tam leves esse possunt ut vix audiantur. navibus autem duabus coniunctis cavebant, ne undis remisque nimis iactaretur navis inque ea Alexandri corpus invalidum. conferas speciem eius appellentis: mortuo similis ne spirare quidem videbatur Macedonibus.

344) vide Curt. IX, 6, 3.

345) cf. Arr. VI, 14, 4. Curtius quod tradit iussisse Alexandrum tabernaculum regium in medium undique conspicuum statui, unde se hostibus demortuum arbitrantibus ostenderet vivum, videtur nonnisi augere Arriani nuntium, qui Alexandrum tentorium a puppi auferri rettulit iussisse: quo melius a militibus, quos iam convenerat conspiceretur: hostes, qui erant inter Schahpur et Multân urbem, certe iam aliis rebus cognoverant regem vivere.

sunt, dum appulsa iam nave ad ripam rex dextram militibus porrexit. qui clamorem sustulerunt ingentem, gavisi regem rursus apud se esse. alii manus in caelum, alii in ipsum Alexandrum tendunt, multi lacrimant. lecticam cum hypaspistae Alexandro e nave egresso afferrent, equum iussit adduci. quo conscenso cum cerneretur rursus, omnes plauserunt. laetitiam clamoremque ripae silvaeque circumcirca reddiderunt. ut ad tabernaculum venerat, ex equo descendit, ut etiam pedibus incedens conspiceretur. milites autem aliunde alii appropinquabant, manus alii, alii genua, vestem alii tangunt, aliis videre regem satis est et plaudentes gratulari; pars coronas, pars flores, quot tum terra Indorum praebebat, inspergunt. erant etiam amicorum, qui pro amicitia temeritatem eius vituperabant[346]), non ducis sed militis eum defunctum esse negotio urbem expugnantem.[347]) qua oratione Boeotus quidam senex cuius non servatur nomen cum Alexandrum commotum videretur, regem aggressus Boeotica lingua allocutus est: Alexander, bonorum virorum praeclara facta. addiditque Aeschyli versum: qui magna moliretur eum aequum esse etiam pati. quem senem et tum laudatum esse et in posterius tempus cariorem fuisse Alexandro.

Dum rex ad confluentes Acesinem et Hyarotim fluvios circa Multân urbem triginta fere dies commoraretur[348]), Malli, qui restabant, cum cognossent contra talem hostem non posse bellum geri legatos miserunt qui totam gentem Macedoni traderent. neque non ab Oxydracis urbium praefecti et nomarchi ipsi et alii praeterea CL nobilissimi venerunt, qui suo iudicio de pace agerent.[349]) attulerunt dona maxima apud Indos habita[350]) gentemque ipsam dediderunt. ignosci sibi posse, quod non antea iam legatos misissent; libertatis studiosos se esse neque quicquam magis se spernere, quam gentem domino maiori subditam. ac libertatem adhuc se ipsis servasse sibi inde ab antiquissimis temporibus Surya dei[351]); cum autem fama esset, etiam

---

346) Craterum et Ptolemaeum nominat Curtius IX, 6, 6; 15.

347) Nearchus haec narrat. Arriano de his verbis Alexander indignatus esse visus est (cf. VI, 13, 4), quod aliquid veri illorum in oratione inesse intellexit. longam orationem ab eo habitam refert Curtius IX, 6, 17 tamque invalido!

348) Curtius IX, 6, 26 regem 'complures dies' ibi stativa habuisse narrat. unum fere mensem si mansisse ibi Alexandrum credemus coll. Arr. VI, 14, 4, non errabimus; reliqua temporum spatia si adsumimus — usque ad Hydaspem et Acesinem confluentes decem dies, expeditionum in Sibas, Agalasses, Mallos minime quattuordecim, septendecim prope Schahpur circa Idus Ianuarias anni 325 a. Ch. a Multân in meridiem profectus sit.

349) de legatis Diodorus tacet. Curtius IX, 7, 12 duarum gentium (Oxydr. et Mall.) centum legatos venisse tradit. omnes curribus esse vectos; eximiam corporum magnitudinem, decorum fuisse habitum.

350) de donis priore loco nil affert Curtius; cum iterum redirent legati apportaverunt illo teste lineae vestis aliquantum, mille scuta Indica, ferri candidi talenta centum, leones rarae magnitudinis et tigres ad mansuetudinem utrosque domitos, lacertarum quoque ingentium pelles, testudinum dorsa (IX, 8, 2). male fortasse in hac re Curtio fidem denegaremus.

351) vide quae de Dionysio-Surya deo supra scripsi in adn. 316.

Alexandrum ex deorum genere esse ortum[352]), satrapam siquem praeficeret accepturos se, tributum quod imperaret obsidesque quot peteret daturos. ac mille ex gentis principibus expostulavit sibi, quibus vel obsidibus vel militibus uteretur, dum bellum contra reliquos Indos gerendum confectum esset.[353]) cui mille missi sunt principes et quingenti currus quoque, quos non rogaverat, et curruum propugnatores. currus cum propugnatoribus rex accepit, obsides mille remisit. satrapam autem toti Mallorum Oxydracarumque regioni praefecit Philippum Machatae filium, Taxilarum adhuc regionisque ad Hydaspem Acesinemque confluentes usque satrapam.

Rebus ita constitutis et sacrificiis pro servato rege et epulis opulentis factis[354]) et navibus inter vulnus curatum aedificatis multis, in naves mille septingentos iussit ascendere amicorum, levius armatorum eosdem quos antea, sagittarios Agrianosque hypaspistarum reliquorumque peditum decem fere milia atque paululum secundo Hyaroti amne vectus ad Acesinem Hyarotimque confluentes venit.[355]) inde porro per Acesinem decurrit ad Indum Acesinemque confluentes. ubi moratus est dum Perdiccas ei accessit cum exercitu qui in itinere Abasthanorum[356]) nationem libera re publica uten-

352) Curtius IX, 7, 13 haec fecit loquentes: deos sibi deditionis auctores, non metum.

353) Curt. IX, 7, 14 quod narrat: 'stipendium Alexander gentibus imposuit quod Arachosiis utraque natio pensitabat' Zumptius ita interpretatus est ut 'proferatur ex mente scriptoris utpote quod indicare velit re vera factum esse posthac'. quod Curtius addit: duo milia quingentos equites imperasse vix credibile est, Arriano fidem habebimus potiorem, praesertim cum idem Curtius IX, 8, 1 trecentos tantum equites referat adductos esse ab Indis. ceterum MXXX currus numerat. quem numerum Zumptius voluit mutare in DXXX, num recte?

354) tacet de his Arrianus. probabiliter commemorat Diodorus XVII, 100, 1; Curt. IX, 7, 15. posterior pluribus verbis epularum institutionem describit. huc referenda est narratio de Dioxippo Atheniensi et *Κορράγῳ* (cod. Curtii 'Horratas' praebent) Macedone inter se pugnantibus; quorum prior cum posteriorem superaret, quasi gentiliciam sibi paravit Macedonum invidiam. cf. Curt. IX, 7, 16 sq. Diod. XVII, 100, 2 sq. neque porro quod Curtius narrat Indos legatos convivii illius fuisse participes veri dissimile est.

355) Arr. VI, 14, 4: *ὀλίγον μέν τι τῷ Ὑδραώτῃ ποταμῷ κατέπλευσεν*. Curtius IX, 8, 3: 'et in fines Mallorum secundo amne devehitur' scribens confinium regionis in meridiem versus dicit.

356) hoc nomine Arrianus populum illum appellavit. idem videtur esse qui Sambastae a Diodoro, Sabarcae a Curtio vocantur; Orosius servat Sabagras, ut apud Arrianum fortasse rectius scribatur *τὸ Σαβαστανῶν ἔθνος*. intra Indum et Acesinem habitasse eos Lassen II p. 182 adn. 1 suspicatus est, cum Malli ad sinistram Acesinis ripam usque ad confluentes Indum et Acesinem habitaverint. posterius mihi dubium esse supra iam confessus sum. Abastani autem non in dextra Acesinis ripa habitare poterant, quod ibi Craterus duxit eosque certe subegisset. nam regio inter Indum et Acesinem non ita lata erat. neque tamen accurate affirmare possum, ubi in sinistra consederint. hoc fortasse suspicari licet: cum Craterus magnam partem exercitus in dextra ripa produceret, Hephaestio in sinistra, Perdiccam, qui cum Alexandro ipso antea erat, tum pro Alexandro cum parte exercitus eius classe relicta via progressum esse adverso Setledsch fluvio per Filadpur-L u d r a n-Kurur-Futtupur urbes, quae praeter Ludran omnes etiam hodie viis cum Multân urbe coniunctae sunt. ibi circa Ludran

tem [357]) subegerat. interea aliae trigintaremes aliaeque onerariae naues Alexandro adducuntur a Xathris[358]) quae libera natio Indica non procul a Multân in meridiem habitans Macedonibus se submiserat. legati etiam venerunt ab Ossadiis[359]) liberis, deditionem qui fecerunt. iam totam regionem ad confluentes Indum et Acesinem usque Philippi satrapiae adiecit et Thracas reliquit omnes atque ex aliis legionibus quot satis viderentur esse ad provinciam custodiendam.[360]) atque

urbem et ultra habitabant fortasse Sabastani. satis longe satisque diu profectus est Perdiccas, si Alexander ad Indum Acesinemque confluentes (olim prope Uchh urbem confluxerunt; ceterum neque Hyphasis (Bias) neque Hesudrus (Setledsch) in Acesinem aquas immittens commemoratur!) exspectavit dum Perdiccas redisset. aderant igitur iam Craterus et Hephaestio. posteriori Xathri se subiecisse videntur habitantes fortasse circa Schadschabad urbem, nisi iam antea cum Alexander prope Multân esset accesserant atque navium aedificandarum imperium acceperant. quod mihi probabilius videtur. sed ut alios quoque audias: Cunningham p. 247 Abastanos inter Acesinem et Hesudrum, infra confluentes ambos, extitisse putat. Wilson Ar. Ant. p. 204 intra Ielam et Chenab posuit eos pessime. ceterum gentem bellicosam fuisse Curtius IX, 8, 4 Diodorusque XVII, 102, 2 narrant. quos audito Macedones appropinquare peditum sexaginta milia, equitum sex milia, currus quingentos coegisse. sed dubium num eis fidem habeamus. nam quae addunt cum Arriano pugnant. perterritos enim Sambastas classis novo atque horribili aspectu atque famam gloriamque Macedonum conferentes ad eos qui in armis fuissent concurrisse monentes ne cum talibus viris manus consererent. atque legatos misisse ad Alexandrum, qui gentem Macedoni traderent. ipsum magnis donis et quasi heroicis honoribus ab Sambastis cultum esse Diodorus addidit XVII, 102, 4, pulchra historia sed non vera, cum Alexander ipse apud Sambastas non fuerit. simplicius ac verius Arrianus refert Perdiccam in itinere Abastanos subegisse. ne hoc quidem omittam: Wilson Ar. Ant. p. 204 nomen Abastanorum ita explicat: the Abastani were . . . the Apa-sthánas or Ava-sthánas. Ambastae vetus Indorum gens erat; quae tamen alio loco sedem ac domicilium habebat cf. Lassen I p. 970 adn. 3. III p. 175. Cunningham I p. 246 nomen recte scriptum 'Sambagras' fuisse ratus (cf. Orosii 'Sabagras') derivat a voce Indica samvâgri: 'milites coniuncti' = σύμμαχοι. quod satis dubium est, cf. Lassen II p. 182 adn. 1.

357) cf. Arr. VI, 15, 1. Diod. XVII, 102, 2.

358) supra dixi Xathros mihi videri habitasse circa urbem Schadschabad ad Acesinem. nam etiam apud Multân ab Alexandro ipso naves aedificatae sunt. sed Lassen Xathros ad Indum priusquam Acesinem recepisset habitasse suspicatus est (II p. 182 adn. 1) quod naves sine dubio secundo fluvio adveherentur atque post Alexandrum demum ad Indum Acesinemque confluentes aggressum appropinquarent. concedo rem mihi non plane incredibilem visum esse, praesertim cum nomina similia ad Indum reperiantur, velut cis Indum Kut-tschutta et Tschoti et trans Indum ad ipsum fluvium Dschutoi-Kulan. hodie quoque via conectit urbem ad Acesinem Mosifurgur et Dere-Gasi-Khan cis Indum. sed cum nusquam tradatur Indo secundo illas naves advectas esse, quod certe non omisisset dicere Arriani auctor, credo ad Acesinem Xathros illos habitasse navesque nondum perfectas cum Alexander praeterveheretur post ipsum devectas esse Acesine.

359) Uchh quae hodie vocatur urbs ad Acesinem sita non procul ab eo loco ubi olim Acesines in Indum se commisit (cf. Cunningh. p. 220) Graecis Ussa sonuisse recte Cunningham p. 243 contendit. possis igitur suspicari circa illam urbem ad orientem versus habitasse Ὀσσαδίους. nomen sane alii aliunde derivaverunt. Lassen eosdem credidit cum Vasâtîjas nominato populo Indico (I p. 979 adn. 5. II p. 181 adn. 4). Wilson Ar. Ant. p. 201 eos Aswadhyas explicat, 'equis divites'. Cunningham eosdem eos atque veteres Yaudheyas vel Ayudhiyas retur (p. 247).

360) Diodorus XVII, 102, 4 in urbe illa quam solam Alexandrum condidisse scit, decem milia militum relictos esse tradidit. nimis certe multi sunt,

urbem ad fluvios confluentes iussit condere[361]) Philippum, magnam eam et claram fore sperans; etiam navalia exaedificanda mandavit. priusquam autem profectus est Oxyartes Bactrianus Roxanae Alexandri uxoris pater venit qui Tyriaspem Paropanisadarum satrapam rettulit male negotium exsequi. quare submoto Tyriaspe Oxyartem Paropanisadis praefecit.[362]) iam Craterum cum exercitus parte maiore atque elephantis Acesinem fluvium transgressum in ripa sinistra Indi fluvii iam procedere iussit cum commodius illic gravius armati praeter fluvium possent progredi neque finitimae nationes omnes amicae essent. ipse Indo secundo ad Sogdorum regiam[363]) naves tendit, quae, si

---

si novae urbis insulas fuisse putamus. equidem crediderim fuisse illos milites cum Pithone satrapa relictos. nam etiam cum Philippo satrapa Arriano teste milites non pauci relicti sunt. cumque Philippi satrapia ad confluentes tantum Indum et Acesinem attineat, hos in urbe Alexandria-Uchh consedisse puto. certe etiam in urbe Sogdorum-Sodrarum milites cum Pithone relicti erant; tacuit sane de iis plane Arrianus, sed de Pithone eodem loco refert, quo etiam de urbe Sogdorum instauranda narrat (VI, 15, 4): horum militum partem vel omnes postea Pithon videtur duxisse in Musicanum (VI, 17, 1).

361) urbem illam putaverunt eo loco conditam fuisse, ubi hodie Mithankot exstat (cf. Hertzberg II p. 320). cum tamen Indum et Acesinem olim prope Uchh urbem se commisisse sciamus, Cunninghamio recte habebimus fidem (p. 242 sq.) qui ipsam illam Uchh veterem Alexandriam fuisse confirmat. addit: 'it is probably this city which is mentioned by Raschid ud din as the capital of one of the four principalities of Sindh under Ayand, the son of Kafand, who reigned after Alexander. He calls the place Askaland-usah, which would be an easy corruption of Alexandria Uccha or Ussa as the Grecks must have written it'. si pergit 'I think also, that Uchh must be the Iskandar or Alexandria of the Chach-namâh; which was captured by Chach on his expedition against Multân', ego putem, illam fuisse urbem, quam hodie nominant Sekanderabad prope Schudjabad non procul a Multân in meridiem sita. haberemus igitur urbem Alexandriam (in Xathris, ubi naves quoque aedificatae sunt) a scriptoribus antiquis non nominatam. sed ut ad Alexandria-Uchh redeamus: eandem eam esse atque illam, quae apud Steph. Byzant. Alexandria *ἐν τῇ Ὠπιανῇ κατὰ τὴν Ἰνδικήν* vocatur, recte videtur contendi posse. cf. Lassen II p. 182 adn. 2. ibi enim *Ὠπίαι* videntur habitasse; de quibus iam Hecataeus (cf. Steph. Byz.) refert: *ἀπὸ τούτων δὲ ἐρημίη*. ac re vera ad orientem versus *ἐρημία* est. Cunning. I p. 36 Opias in Paropanisadarum regione putat reperiri posse, quod iam supra negavi in adn. 18.

362) Curtius IX, 8, 9 Teriolten appellat Paropanisadarum satrapam; fortasse librariorum mendum est. addit Alexandrum iussisse satrapam interfici quod avare ac superbe officio functus sit. ceterum totam historiam Curtius refert, postquam Alexandrum fines Musicani fecit ingressum. nescio denique unde Droysen (II p. 197) sumpserit Oxyarten demum venisse ad Alexandrum, cum in Pattala insulam proficisceretur.

363) de nomine Sogdorum certi nil constat. Tod Rajastan I p. 92 ab Sodhis derivavit; habitant etiam nunc Sodhae circa Umarkot urbem in parte meridionali regionis per quam Indus ultimus in mare decurrit. (Cunningh. p. 254.) ac M.' Murdo (Journ. of Roy. As. Soc. of Beng. I p. 33) olim maiorem magisque ad septentrionem regionem spectantem eos coluisse retur. porro Cunningham I p. 253 sq. Sogdos Arriani (VI, 15, 4) et Diodori (XVII, 102, 4) Sodras eosdem duxit. Diodorus enim addidit l. l. *περὶ δὲ τούτους τοὺς τόπους ἔκτισε πόλιν Ἀλεξάνδρειαν κατὰ τὸν ποταμόν*. etiam Curtius IX, 8, 8 de oppido condito rettulit, gentem non nominavit. Arrianus VI, 15, 4 in Sogdorum regione *πόλιν τε ἐτείχιζεν ἄλλην καὶ νεωσοίκους ἐποίει ἄλλους* (ergo ad fluvium). Collocat Cunningham p. 254 in sinistra ripa Indi fluvii paulo infra Indum Acesinemque

nomen spectes, Rajanpur hodie vocata urbs ad Indum sita esse possit. atque Sogdi se dedisse videntur. quorum in regione alteram ad Indum urbem communivit ibique navalia exaedificavit.[364]) navigia laesa reficienda curavit. regionis deinde ab Indo Acesineque confluentibus usque ad mare extensae et totius maritimae Indicae satrapam constituit Pithonem, Agenoris filium. iam Craterum cum toto exercitu, et copiis quas antea duxerat et eis quibus Hephaestio praefectus fuerat, iussit procedere.[365])

---

confluentes Sodras (Sogdos) quos eosdem arbitratus est cum Seorai (Sirwahi) urbis regionisque incolis. quam urbem anno 1525 p. Ch. n. ab Husen-Shah Arghun procedente a Bhakar (Bhukor) ad Multân expugnatam esse narrat. atque sita erat prope urbem hodie Fazilpur nominatam inter Subsalkot et Achmedpur urbes. recte fortasse Seorai ad Sodras omnino rettulit. sed erravit, cum eo etiam Alexandriam urbem ponat (vide chartam eius IX), quae certe ad Indum ipsum sita erat (testibus Arriano et Diodoro). alii Bhukor eam fuisse arbitrantur (cf. Vincent: The commerce and navigation of the ancients in the Indian ocean I p. 140. Pottinger: Travels in Belochistan p. 119. 382). vide etiam Droysen II p. 190 adn. 1; Lassen II p. 182 adn. 2. Wilson Ar. Ant. p. 204. Cunningham si prope Fazilpur Alexandria fuerit, Craterum optime inde putat in Arachotorum et Drangarum regionem mitti potuisse ab Alexandro. sed aperte verba *διὰ τῆς Ἀραχώτων καὶ Δράγγων γῆς* ab interpolatore quodam addita sunt in Arr. VI, 15, 5, cum infra VI, 15, 7 adsit Craterus et VI, 17, 7 demum per Arachotos et Drangas in Carmaniam mittatur. (ceterum concedendum est Droysenio II 193 adn. 1 *ἤδη ἔστελλε* Arriani VI, 17, 3 ad Craterum referenda esse, *ἔστελλε* autem de conatu sumendum esse = in Macedoniam tum mittebat h. e. mittere iam voluit, recte iam Gronovius monuerat.) Curtius narrat IX, 8, 8 a Sabarcis (= Abastanis Arriani) quarto die in aliarum gentium regionem venisse Alexandrum ibique oppidum condidisse Alexandriam. circa Filadpur-Ludhran habitasse Sabarcas-Abastanos supra monui. iam Plinius n. h. VI, 60 tradiderat Alexandrum nullo die minus stadia CC (ita enim mutandum pro DC) navigasse Indo. quattuor igitur diebus viginti fere milia geographica confecit. si chartas geographicas nostratium conferimus, est spatium a Filadpur ad Radjanpur urbem ad Indum sitam idem fere, si fluminis curvamina spectes. Radjanpur igitur — regum urbem — Sogdorum *βασίλειον* fuisse puto.

364) paulo infra Radjanpur urbem ad Indum ipsum Alexandriam Sogdorum reperiri posse puto, fortasse trans Indum eo loco ubi cis Indum Kaschmar exstat. (via conectit urbes Subsalkot-Kaschmar vide chart. Herrig. Afganistan terrae.) nam ibi optimus illarum regionum transitus Indi erat teste Cunninghamio. a Kaschmor autem via ducit per Utsch et Sibi urbes ad Kandahar. meliorem in illis regionibus locum urbis Alexander vix potuit capere. accedit quod Diodorus Sodras et Massanos *ἐξ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν* (*τοῦ Ἰνδοῦ ποταμοῦ*) habitasse tradidit. Massanos autem a Ptolemaeo postea Musarneos eorumque urbem Musarna nominatos esse Cunningham putat eorumque regionem ibi quaerendam ubi hodie Muzarka regio exstat, to the west of the Indus below Mithankot; secundum chartam eius IXam intra urbes Mithankot Kasmor Shahpur (per quam via illa Kasmor-Handahar ducit). Shahpur urbem Ptolemaei Musarna arbitratur.

365) legimus apud Arrianum VI, 15, 4: *τῆς δὲ ἀπὸ τῶν ξυμβολῶν τοῦ τε Ἰνδοῦ καὶ Ἀκεσίνου χώρας ἔστε ἐπὶ θάλασσαν σατράπην ἀπέδειξεν Ὀξυάρτην καὶ Πείθωνα κτἑ.* mirum duo hi satrapae unius satrapiae, ac variis modis studuerunt hanc rem explicare viri docti. alii Pithonem satrapam proprium fuisse arbitrati sunt, Oxyartem magis honoris causa satrapam factum. (cf. Sintenis adn. ad Arr. VI, 15, 4.) alii Arrianum errasse putaverunt (cf. Droysen II p. 190 adn. Lassen II p. 184 adn.). non Arrianus mihi videtur errasse, sed librarius aliquis. Kruegerus in ed. proponit scribendum *σατράπην ἀπέδειξε καὶ στρατηγὸν Πείθωνα.* mea quidem sententia legebatur in contextu Arriani *σατράπην ἀπέδειξε Πείθωνα.* omitto quod certe Arrianus scripsisset *σατράπας ἀπέδειξεν Ὀξ. καὶ Π.*; iam cum in antecedentibus Oxyartes nove constitutus Paropanisadarum commemoretur,

ipse amne secundo vectus est in Musicani[366]) regnum, quod Indorum opulentissimum esse dicebatur. neque enim Musicanus Alexandro obviam venerat se regnumque tradens Macedonibus neque legatos de amicitia miserat neque dona quae regem qualis Alexander esset decerent neque denique quicquam ab Alexandro petierat. quare iure sibi visus est Alexander metuere ne bello Macedones Musicanus conaret excipere. tantaque celeritate per fluvium defluxit ut prius Musicani regni fines ingrederetur quam Musicanus audisset Alexandrum contra ipsum movere. situm erat Musicani regnum circa Indum fluvium intra Bhukor et Haiderabad hodie vocatas urbes. illis autem temporibus Indus non ut nunc[367]) ad occidentem versus ab Bhukor curvatus in dextram ad Haiderabad urbem videtur decurrisse, sed recta via fluxisse praeter urbes Kator et Iakrao hodie vocatas.[368]) atque circa hoc brachium iam Indi cuius nunc pars superior Nâra dicitur, pars inferior Purâna[369]), Musicani habitasse videntur. adventu igitur Alexandri perterritus Musicanus cum donis quae apud Indos amplissima existimantur et elephantis omnibus quos habuit celeriter obviam iit, nationem seque ipsum tradens petensque veniam quod non prius accessisset. quam cum facile ab Alexandro impetrasset, in regionis caput[370]) in dextra ripa Indi situm Macedonem duxit. atque regionem

---

adnotans aliquis in margine scripsit *σατράπας ἀπέδειξεν Ὀξυάρτην καὶ Πείθωνα*, suae quemque satrapiae solum, inde in contextum receptum est alterum.

366) ita credo Arriani intellegenda esse verba VI, 15, 5 *καὶ Κράτερον μὲν ἐκπέμπει αὖθις* (*ἐκ τοῦ στρατοπέδου* scilicet) *ξὺν τῇ στρατιᾷ*, ubi quae sequuntur *διὰ τῆς Ἀραχώτων καὶ Δραγγῶν γῆς* ab interpolatore addita esse supra monui. Droysen II p. 193 adn. 1 cum scribat 'Craterus war bereits — . . . halt zu machen' mihi videtur errasse. nam adest Craterus in Musicani regno antequam quidquam Musicanus novavit cf. VI, 15, 7. iam trans Indum in dexteram ripam missum esse Craterum neque indicatur usquam antea neque verisimile est, cum paulo ante a dextra ad sinistram ripam arcessitus erat. cf. etiam Schmiederum in adnotatione editionis Kruegeri. de Hephaestione omnino tacet, atque copiis Crateri regem ipsum navigantem cum exercitus parte opposuit tantum Arrianus. Hephaestio igitur tum aut cum Alexandro ipso processit aut Cratero subditus erat.

367) Arrian. VI, 15, 5, Diod. XVII, 102, 5, Strabo XV p. 694, 701, 710 regem Musicanum nominant et regionem *τὴν Μουσικανοῦ*. Curtius IX, 8, 10 sq. Musicanorum populum commemorat. idem igiter nomen et regi et nationi est (cf. Lassen II p. 185), quod supra nobis occurrit in Taxilis, Assakenis, Abhisaris, aliis. nomen Indicum populi Mûshika est (cf. Lassen l. l. adn. 5) latine redditum: m u s.

368) iam Alexandri M. temporibus Indum fluvium nonnullis locis mutasse alveum Aristobulus tradit nobis: ipsum ad rem quandam gerendam missum se conspexisse narrat regionem desertam mille vel amplius etiam urbium vicorumque cum Indus proprio alveo relicto ad s i n i s t r a m conversus quasi in longe profundiorem alium perrupisset ut regio relicta ad dextram non iam inundationibus irrigaretur. (cf. Strab. XV p. 693.) quae illa fuerit regio certo nequit dici. fortasse paulo infra Alore sita erat: ibi enim fluvii alveolus inter Indum et Nâra fluvios reperitur, qui paulo post desinit. Dextrum fluvium — Indum nostratium — saeculo septimo p. Chr. n. exeunte demum montes inter Rori et Bhukor perrupisse Cunningham testis est, v. p. 251. antea Indum in alveo fluxisse qui Nâra hodie dicitur.

369) v. Cunningh. p. 251 sq.

370) v. chartam Cunningh. IX.

et urbem ipsam Alexander valde miratus est. nam et terra et quae ex terra gignebantur et homines valde differebant ab eis quos adhuc viderant.[371]) Brahmani potissimum hisce in locis plurimum et apud reges et apud populos valebant. ceterum Musicanum in regno confirmavit. capitis regionis arcem a Cratero muniendam curavit reliquitque in ea cum procederet praesidium: nam idoneus videbatur locus ad continendas coercendasque nationes circumcirca consedentes. inde sagittariis assumptis et Agrianis equitibusque omnibus qui navibus una vecti erant[372]), in dextra ripa Indi ad septentrionem versus movit in regionem Praestorum[373]), quorum princeps Oxycanus vel Porticanus[374]) appellatus neque ipse accurrisset neque legatos deditionem

371) hanc urbem eo loco sitam fuisse ubi hodie ruinae Alore urbis reperiuntur Cunningham p. 257, Wilson Ariana Antiq. p. 201 sq., Lass. II p. 185, Droysen II p. 193 adn. 1, alii existimaverunt. Alore enim 'is known to have been the capital (of the kingdom of Upper-Sindh) for many ages' (Cunningh. l. l.) fertilissima terra, de qua tam multa praedicaverunt Graeci scriptores, inter Bhukor et Sehwan hodie exstat (cf. Lassen II p. 185); sed non est dubitandum, quin cum Indus olim Nâra alveo uteretur, illa quoque regio orientalior praeter Kator et Jakrao urbes propter inundationes Indi (cf. Nili inundationes) fertilissima fuerit (cf. Cunningh. p. 257).

372) cf. Droys. II, 192. Hertzberg II, 321 sq.

373) Lassen II, 186 Alexandrum cum classe inde a Musicani urbe ad Oxycani urbem putat navigasse. cui Arrianus obstat VI, 16, 1: quare solos sagittarios Agrianos equites secum in classem imposuerit? VI, 17, 1 Alexandrum ad classem reliquumque exercitum revertisse narrat. iam quod Lassen magis meridionalem credidit Oxycani regionem quam Musicani Strabonis nuntio (XV 701) nixus est qui haec tradidit: *πρὸς αὐτῇ δ' ἤδη τῇ Παιταλήνῃ τήν τε τοῦ Μουσικανοῦ λέγουσι καὶ τὴν Σάβου τὰ Σινδονάλια* (num legendum *Σινδίμανα?*) *καὶ ἔτι τὴν Πορτικανοῦ καὶ ἄλλων κτἑ.* quem nuntium si Lassenium secuti vellemus interpretari, quasi a septentrione ad meridiem progressus Alexander populos enumeraret, Porticani regnum magis meridionale fuisse putaremus quam Sambi. iam Sambi regnum circa urbem Sehwan (ad Indum hodie) vocatam situm fuisse satis probabile est. cf. Cunningh. p. 263 sq. extensum igitur erat usque ad ripam Pattalenae insulae. Musicani regnum circa Indum veterem (Nâra) ab Alore ad Jakrao extitisse supra vidimus. verisimile igitur est, primo Strabonem vel auctorem regiones Pattalenae insulae proximas nominasse: erant Musicani et Sambi regiones. vide etiam orationis Strabonis formam: *τήν τε . . . καὶ τήν.* iam addit *καὶ ἔτι τὴν Πορτ.* haec regio post duas illas priores commemoranda erat, cum circa Larkhana nostratium sita erat. at Arrianus VI, 16, 3 narravit *ὁ δὲ ἐπὶ Σάμβον αὖ ἦγε*, ac Lassen II p. 184 adn. 2 scripsit: 'seine (Sambi) Hauptstadt lag nördlicher als die zwei Hauptstädte des Portikanus, weil Alexander nach ihrer Eroberung z u r ü c k k e h r t e'. si tali modo Arriani *αὖ ἦγε* interpretari nobis liceret — quod mihi valde dubium est —, eodem vel maiore iure ac rectius possemus dicere sitas fuisse magis septentrionales duas Porticani urbes, quam Sambi. nam cum in Musicanorum regione certe inferiore classis iam esset, etiam tum retro — si classem spectares — exercitum duxisset. omnibus perpensis certam quidem rationem secutum Strabonem illos populos commemorasse videmus, primo proximos, tum remotiores nominans, neque quicquam obstare, quin circa Mahorta urbem veterem (prope Larkhana nostratium) regnum Oxycani situm fuisse arbitremur. nam ibi Masson (Travels I p. 461) ruinas pervetustas exstare narravit (Cunningh. p. 260) 'the remains of an ancient fortress on a huge mound, named Maihota'. nomen Mahorta Cunningham p. 260 explicavit maha urdha 'the great-lofty city'. idem in Oxycani nomine vocem Indicam 'uccha' inesse suspicatus est; quae vox altitudinem significat.

374) Praestorum populus a Curtio solo IX, 8, 11 nominatur. vox Indica

facientes misisset. habitabant Praesti ut videtur circa Mahorta urbem veterem et Shikarpur nostratium in regione plana paululumque montana, quorum duas urbes primo impetu vi expugnavit. in altera ipsum Oxycanum cepit.[375]) cumque praedam militibus distribuisset — elephantos quos cepit secum abduxit — reliquas urbes aggressus est: quae omnes Alexandri et virtutis et fortunae fama commotae sua sponte se dediderunt.

Iam in Sambi regnum invasit, quem, cum Alexandro inter Sogdos moranti se regnumque tradidisset, tum montanis Indis satrapam praefecerat.[376]) habitabant illi circa Sehwan urbem hodie vocatum[377])

---

prashta = solum planum videtur fuisse cf. Lassen II, 187, Cunningham p. 261; male Wilson Ar. Ant. p. 204 'it seems not unlikely . . . that the district of Oxykanus lay to the south-east of Alore . . . Curtius calls the subjects of Oxykanus Praesti. Prashtas or Prashtalas might be applied to a people occupying the 'Thuls' or oases of the Desert'. derivat igitur Praestorum nomen a 'shtala' voce Indica cf. Cunningh. p. 261. sed falso.

375) Oxycanus nominatur ab Arriano VI, 16, 1 sq. Diodorus XVII, 102, 5, Curtius IX, 8, 12, Strabo XV p. 701, Porticanum appellant. nomen prius de urbe maxima videtur datum esse (cf. Cunningh. 260) ab radice Indica uchh, quam Graecis etiam ussa sonuisse supra ex Cunninghamio monui. quapropter urbem Indorum a Ptolemaeo geographo commemoratam Oskanam Cunningham huc rettulit, fortasse recte. Porticanus de regionis incolis 'Prathika' = 'Parthika' derivandus videtur cf. Lassen II p. 187. Cunningh. p. 260 derivat a 'porta', quae vox Indica altitudinem significat, ut idem sit Oxycanus et Porticanus etiam nominis significatione.

376) quarum urbium ea in quam Oxycanus fugit Mahorta fuisse potest. Diodorus enim *τήν τε Σάμβου βασίλειον ἐξεπόρθησε* refert XVII, 102, 5, qui omnino in describendo bello contra Oxycanum gesto non paulum differt ab Arriano. duas enim *ἐξ ἐφόδου* urbes captas et combustas esse, ceteras omnes vi captas et inflammatas narrat. Curtius IX, 8, 11 sq. Porticanum 'regem' in munitam urbem se recepisse tradit, quam tertio die ab Alexandro esse expugnatam. Porticanum in arcem iam confugientem legatos de deditionis condicione misisse: qui antequam regem adirent, per muri ruinas Macedones in arcem penetrasse et Porticanum cum paucis resistentem occidisse. de reliquis Porticani urbibus vi expugnatis tacet. etiam de Sambi regione tradita vel subacta valde differunt Arrianus Diodorus Curtius. secundum Curtium (IX, 8, 17) Sambus se tradidit — ut videtur validissima gentis urbe capta (§ 13). de defectione Sambi ac fuga nil scit Curtius. multas Sambi urbes in fidem acceptas esse; unam — validissimam illam — cuniculo captam. tum ex Clitarcho affert: octoginta milia Indorum in ea regione caesa, multosque captivos sub corona venisse. quae vix cum antecedentibus congruunt. nam si una tantum urbs vi capta erat, multae sponte accesserant, non causa erat octoginta milia hominum occidere et alios multos sub corona vendere. diversos igitur auctores adhibuit Curtius. Arrianus Sambum antea se regi tradidisse ac satrapam factum, tum propter Musicanum in fidem acceptum defecisse, urbem (metropolin) autem (validissimam Curtii?) Sindimana portas Macedonibus aperuisse narrat. unius tantum urbis incolas a Brahmanis incitatos defecisse refert, sed hoc ante Musicani defectionem, Curtius post eam. Diodorus Sambum regem nescit se tradidisse, sed fugisse, aperte propter metum Alexandri (*καὶ πολὺν φόβον τοῖς πλησιοχώροις ἐπέστησεν*), trans Indum. plurimas urbes captas et inflammatas, cives venumdatos, magnas caedes factas (*ὑπὲρ τὰς ὀκτὼ μυριάδας*). in narratione non dubitavi Arrianum sequi.

377) ut Arrianus ita Curtii codices omnes Sambum appellant regem, *Σάβον* Strabo XV p. 701. Iustini codices XII, 10, 2 aut 'Ambigeri regis' aut 'Ambi regis' habent, ubi scribendum sine dubio 'Sambi regis' (cf. Lassen II p. 184

prope regionem montanam in ripa Indi nostratium dextra. fugerat autem Sambus[378]) in regiones orientales trans Brahmanabad et Indum sitas[379]), cum Musicanum ab Alexandro in regno confirmatum videret. nam inimicitiae Sambo erant cum Musicano. poterat praeterea stimulari Brahmanorum orationibus Macedones spernentium. utque urbi appropinquavit Alexander quae totius regionis erat metropolis, vocabatur autem Sindimana[380]) — hodie appellatur Sehwan — portas aperuere Sambi familiares et cum pecunia numerata elephantisque obviam iere, Sambum non propter Alexandri odium sed metum Musicani dicentes fugisse. aliae item urbes se dedere[381]); unam quae defecerat vi cepit et Brahmanorum, quot defectionis auctores fuerant, interfecit. urbs illa ad Indum veterem sita fuisse videtur ubi hodie Brahmanâbad urbis ruinae exstant.[382]) sed copiae Cratero duce et classis Nearcho

---

adn. 2). nomen Indicum videtur Çambhu fuisse quod Çivae nomen est (cf. Lassen l. l.) Wilson Ar. Ant. p. 205 haec scripsit: 'Sambus is a genuine Indian appellation: it is the name of one of the sons of Krishna'. quando Sambum Alexander satrapam fecerit nescimus. videtur Sambus se Alexandro cum in Sogdis esset, iam antequam in Musicani regionem venisset, tradidisse et Alexander eum in regno confirmasse satrapamque fecisse. sed nihil de eo tum rettulit Arrianus, qui ne indicat quidem quo fugerit. Diodorus tradit eum cum triginta elephantis effugisse *εἰς τὴν πέραν τοῦ Ἰνδοῦ χώραν* (in regionem ut videtur trans Brahmanabad sitam). sed num triginta elephantos Sambus secum duxerit dubium. Arrianus elephantos a Sambi familiaribus Alexandro adductos esse narrat VI, 16, 4, neque verisimile est plus triginta elephantos fuisse regulo Sambo.

378) cf. Cunningh. p. 263. Lassen II p. 184 adn. 2. 188 adn. 1; Droysen II p. 192 adn. 2.

379) Droysen quod scripsit II p. 192 '(Sambos) abhängig von dem mächtigen Musikanos, mochte er dem fremden Herrscher lieber als dem Nachbarfürsten dienstbar sein wollen' coll. 194: '(Sambos) glaubte fürchten zu müssen, daß er jetzt (von Musikanos) die Strafe für seinen Abfall leiden werde', erravit. certe nil de tali Sambi condicione refertur. immo Arrianus dicit VI, 16, 3 *τὰ γὰρ πρὸς Μουσικανὸν αὐτῷ πολέμια ἦν*. eadem igitur de causa fugit Sambus secundum Arrianum, de qua Porus ille alter fugerat.

380) cf. Diod. XVII, 102, 7. Brahmanabad urbs erat Sambi, vide adn. 382, supra Brahmanabad urbes erant Musicano subditae; itaque si trans Indum fugit Sambus, per eam regionem evasit quam dixi.

381) Sindimana urbem appellatam esse Arrianus testatur, VI, 16, 4. Strabo XV p. 701 regionem Sindonalia aut Sindolia nominat. (cf. Diodori Harmatelia.) posterius Lassen II p. 184 adn. 2 rectius ratus explicavit 'Sindvâlaja'. etiam Sindimana vocis partem priorem a 'Sindhu' derivavit; posteriorem se nondum plane intellegere confessus. Wilson l. l. p. 205 Sindhumân vel Sindhuvân explicat; Cunningh. p. 266 vocem refert ad Indicum Saindhavanam vel Saindhuwân: 'the abode of the Saindhavas'. ceterum recte videntur urbem quae hodie Sehwan vocatur eandem putasse cf. Wilson p. 205. Droysen II p. 192 adn. 2, Lassen II p. 188 adn. 1, Cunningh. p. 264.

382) hoc et per se credibile est et testatur Curtius ex altero suo fonte X, 8, 13: 'multisque oppidis in fidem acceptis'. Diodorus qui XVII, 102, 6 narrat: *τὰς πλείστας πόλεις ἐξανδραποδισάμενος καὶ κατασκάψας* Clitarchum secutus esse videtur, qui octoginta milia Indorum in Sambi regno caesa esse rettulit multosque sub corona venisse (cf. Diod. l. l. et Curt. IX, 8, 15), quod explicabimus non si unam tantum urbem sed si multas ab Alexandro vi captas putabimus. unam vero tantum expugnatam esse et Curtius ex altero fonte et certis verbis Arrianus dixit VI, 16, 5; quae urbs eadem videtur esse quam Curtius validissimam cuni-

culoque captam dixit. Si autem illis locis complures auctores de Sambo Curtium adhibuisse recte statui, Arriani urbs quam vi cepit Alexander ea quoque esse potest, quam Curtius IX, 8, 17 commemorat. (bis igitur Curtius ex diversis auctoribus eandem urbem captam tradidisset.) de eadem refert Diod. XVII, 103, 1 sq. excepto autem nuntio ex Clitarcho sumpto (§ 15) et excepta narratione altera de Sambi urbe vi capta (§ 17—28) Curtii narratio etiam de defectione Musicani et Pithone in eum misso in universum congruit cum Arriano. (Musicani autem defectionem Diodorus vel auctor non narravit. inde error Curtii, qui Sambi urbis (Brahmanabad) defectionem denuo ac falso post Musicani refert.) quare auctorem Curtii quisquis fuerit, etiam Sambum fugisse (ut Arrianum) tradidisse putabimus. sed videamus Diodorum, qui XVI, 103,1—8 eadem refert atque Curtius IX, 8,17—28. coniunxit autem hanc narrationem cum priore de Sambi urbibus, quam nil indicat ex alio auctore sumptam esse quam antecedentia aut subsequentia. ex Clitarcho igitur decerpta est, qui eam rettulit, cum de Sambi regione subigenda scriberet. Harmatelia autem urbem iam captam esse antequam ad Musicanos Alexander rediret, non obstat Clitarchus. nam quae de singulis regibus, Musicano, Porticano, Sambo dicenda erant, singulis locis absolvit. cumque Arrianus narret praeter Sindimanum Alexandrum urbem vi cepisse (εἷλεν), quod Curtius confirmat IX, 8,13 et IX, 8,18 sq., cumque etiam Iustinus XII, 8 tradat urbem, cuius incolae sagittis usi essent venenatis, expugnatam esse, quamquam Clitarchus apud Diodorum dicat post pugnam ante muros factam sese tradidisse Harmatelianos, credo urbem Arriani alteram fuisse eam quam Clitarchus Harmatelia vocat. cf. Lassen II p. 188 adn. 2. inde efficitur Clitarchum errasse de deditione referentem. Cunningham explicat nomen ab Herma: Herma sthâla, et eandem esse putavit urbem cum Brâhmanâbad (= Brahmanorum urbs) urbis ruinis hodie (cf. Diod. XVII, 102: *ἔθνος τῶν ὀνομαζομένων Βραχμάνων* et 103: *ἐσχάτης τῶν Βραχμάνων πόλεως*), quod Hermes idem esset cum Brâhma. Lassen sane II p. 188 adn. 2 ad aliam refert vocem Indicam: Harmyatalla: 'Palastsee' vel Harmyatala 'Palastboden'. explicatio dubia. hoc certum ad ipsum Indum sitam fuisse illam urbem atque in regione urbis Brahmanabad, nam classem Alexandri eo praetervectam esse ex Clitarcho elucet IX, 8,17: 'quarto deinde die secundo amne pervenit ad oppidum' etc., quae nisi ita non intellegenda: quarto die postquam ab Alore postea (Cratero dimisso) provecta erat classis, secundo amne in Sambi oppidum (Harmatelia, Brahmanabad) venit. abest enim Brahmanabad ab Alore fere triginta milia geographica si curvamina fluvii repicias. singulis igitur diebus iter fere septem vel octo milium geograph. fecit classis, quod spatium quae illo anni tempore erant Indi aquarum moles perbene emetiri poterat (cf. Lassen II p. 191) iam supra legimus apud Plin. N. hist. VI, 60 nullo die minus quam CC stadia in Indo classem emensam esse, tum autem (ab Alore ad Brahmanabad) *σπουδῇ ἔπλει Ἀλέξανδρος* (cf. Arr. VI, 17,5).

Singula si in illa de Harmatelianis narratione spectamus: non plane incredibile est pugnam ibi factam esse ante muros; non veri dissimile, sagittas venenatas iecisse barbaros multosque Macedonum esse ita mortuos, quamquam Strabo hoc apud Oritas (Indos montanos hos quoque ab Clitarcho nominatos?) factum et Ptolemaeum ibi vulneratum esse narrat XV p. 723. Cicero de divinatione II c. 66 de Ptolemaeo vulnerato atque curato refert, neque tamen locum commemorat, ubi factum sit. hoc aperte fictum, Ptolemaeum vulneratum ab Alexandro servatum esse. fictum esse ab eodem videtur, qui antea Alexandrum a Ptolemaeo apud Oxydracas (rectius Mallos) servatum esse tradidit indeque Ptolemaeum Soteris nomen accepisse: necesse esse videbatur Clitarcho, Alexandrum Ptolemaeo meritum reddere! ceterum erravit Lassen II p. 188 adn. 2 cum scriberet: auch Ptolemäus wurde verwundet. Nach Curtius erschien ihm, nach Diodor dagegen dem Alexander im Traume eine Schlange' etc. parum accurate Curtium inspexit. Droysen II p. 196 adn. 1 neglegentius etiam egit: die wunderliche Erzählung von seinem Traume auf dem Ruhebette des Königs' etc. de rege quidem omnes consentiunt veteres, Curtius l. l. Diod. l. l. Iustin. XII, 8, Strabo XV p. 723 Cicero de divin. II, 66. atque Curtius Diodorus Cicero draconta ('quam mater Olympias alebat', Cic.) somnianti Alexandro visum esse radiculum ore ferentem quo vulnus illud curaretur. Iustinus herbam in remedia veneni monstratam esse regi per quietem; Strabo similiter: *ἐν ὕπνῳ . . . παραστάντα τινὰ τῷ Ἀλεξάνδρῳ*

duce usque tum prope Alore collocatae erant, in dextra ripa Indi priores, fluvio transmisso.[383]) tamen illo tempore etiam Musicanus nuntiatur defecisse. quod ut faceret Brahmani eum soli videntur movisse. ac Pithonem Agenoris filium satrapam cum copiis idoneis in Musicanum ipsum cis Indum impetum facere iussit; ipse[384]) urbes Musicano subditas in sinistra ripa Indi veteris[385]) alias vi captas inflammavit incolasque servos reddidit, alias praesidiis ornavit arcesque in iis munivit. cumque iam ad Indum et classem et castra revertisset Pithon accessit cum Musicano quem ceperat. atque hunc quidem in ipsius regno suspendi iussit[386]) una cum Brahmanis quot ad defectionem incitaverant. inter haec Pattalorum regulus[387]) advenit, qui regionem et se suaque Alexandro commisit. quem in regnum restitutum iussit reverti et omnia quae ad exercitum excipiendum essent necessaria parare. ipse antequam processit Craterum[388]) cum Attali Meleagri Antigenis legionibus sagittariisque nonnullis et amicorum

---

δεῖξαι ῥίζαν narravit. attuli haec ut appareret, quantopere in re ficta singuli differrent auctores.

383) vide enim Curtium et adn. 382.

384) copias omnes prope Alore iam dudum in dextram ripam traiectos fuisse inde apparet, quod Arrian. VI, 16,2 Craterum cum parte militum a dextra ripa in Carmaniam missum esse narrat (non dicens eum tum Indum transmisisse, quod dicit de Pithone); partem cum Hephaestione eadem (dextra) ripa procedere iussit, partem cum Pithone *ἐς τὴν ἐπ' ἐκεῖνα ὄχθην τοῦ Ἰνδοῦ διαβιβάσας οὐχ ᾗπερ Ἡφαιστίων τὴν στρατιὰν ἄγειν ἔμελλε* emisit, *τάς τε ἐκτετειχισμένας ἤδη πόλεις ξυνοικίσαι ἐκέλευσε καὶ εἰ δή τινα νεωτερίζοιτο πρὸς τῶν ταύτῃ Ἰνδῶν καὶ ταῦτα ἐς κόσμον καταστήσαντα ξυμβάλλειν οἱ ἐς τὰ Πάτταλα.* in sinistra igitur ripa processit Pithon sed quae sunt hae urbes munitae? vix credi potest, Pithonem remissum esse ad Indum Acesinemque confluentes, quod credidit Schmieder qui urbes putavit esse 15,2 et 15,4 commemoratas. ego putaverim esse eas quarum paulo ante Arrianus tradiderat arces ab Alexandro esse munitas (vide etiam Droys. II 200 adn. 2. Hertzberg II 330). has iam perficere iussit Pithonem. inde efficitur, Alexandrum ipsum prope Brahmanabad Indum transmisiose atque in ripa sinistra adverso flumine in urbem Alore redisse cum Pithon in ripa dextra Musicanum investigaret.

385) tota oratio Arriani indicat *αὐτὸς* codicum servandum, non in *οὗτος* esse mutandum.

386) vide adn. 384.

387) cruciandum eum curasse Alexandrum Curt. IX, 8,16 tradit. non video causam, cur Arriano diffidam. cf. Hertzberg II p. 327. Droysen II p. 196. Lassen sane II p. 189 Curtium secutus est.

388) Moeris vocatur a Curtio IX, 8,28. ceteri nomen non commemorant. 'Maurya' Indicam vocem fuisse putavit v. Bohlen, Ritter, alii. Lassen II p. 189 adn. illorum sententiam improbavit. nam Maurya reguli post Alexandrum demum extiterunt. antea regnaverunt principes e gente Ixuakû, qui etiam 'Saurya' poterunt vocari. mutat igitur Lassen Moeris in Soeris, et ad hoc nomen etiam Steph. Byz. s. v. *Ἀλεξάνδρεια* allatam vocem *Σωριανῶν* refert (quam Cunningh. p. 206 ad Shor-kot urbem revocavit). quorum in regione Alexander urbem condidisse dicitur. atque instauravit certe ibi urbem Pattala cf. Arr. VI, 17,6; 18,2. Lassenium probavit Droysen II p. 196 adn. 3. confiteor mirum mihi videri Curtii librarium mutasse Moeris, quod nomen de regibus re vera adhibitum est etsi post Alexandri demum aetatem. quidni nomen postea in illis regionibus regnantium in Alexandri aetatem falso transferri poterat, ut tamen Curtii nomen Moeris, falsum sane servetur?

ceterorumque Macedonum quot in patriam bello inutiles iam missurus erat in Carmaniam per Arachotos et Drangas misit. elephantos quoque Cratero ducendos traditit. alteri exercitus parti eique maximae Hephaestionem praefecit, qui in ripa Indi dextra duxit; ipse cum suis militibus Indo secundo vectus est quibuscum solitus erat, exceptis Agrianis, quos cum hippacontistis Pithoni satrapae adiunxit, qui Indo transmisso in ripa sinistra urbes iam ab Alexandro munitas colonis ornaret et si quid Indi illam regionem colentes novarent, componeret. mandavit autem ut Pattalis se conveniret. ac triduo iam navigavit ipse, cum audivit Pattalorum principem assumpta Pattalensium maxima parte ex urbe regioneque deserta fugisse. quare celerius iam vectus Alexander post tres dies[389]) Pattala urbem venit ipsamque et regionem,

---

389) Craterum ab Alexandro dimissum esse Arrianus et Strabo XV p. 721. 725 referunt. tacent de re omnino Diodorus et Curtius (erravit Lassen II p. 189, ad. 2). sane Craterum Alexandro in Gedrosia moranti nuntios Curtius scit misisse sese cepisse Ozinen et Zariaspem v. IX, 10,19. falsus est Iustini auctor si Polysperchonta cum exercitu in Babyloniam missum esse narrat, spectat sine dubio Crateri expeditionem. iam qua via usus sit Craterus certo vix dici poterit. Strabo XV p. 721 postquam narravit triplicem exercitum fecisse Alexandrum, Craterumque misisse (ab Indo) *διὰ τῆς μεσογαίας* paulo infra addit: *Κράτερος δ' ἀπὸ τοῦ Ὑδάσπου ἀρξάμενος δι' Ἀραχωτῶν ἤει καὶ Δράγγων εἰς Καρμανίαν.* iam plane incredibile est ab eo loco Indiae unde Craterus ab Alexandro dimissus est, eum regressum esse ad Hydaspem ita ut per Taxilarum, Assacenorum Paropanisadarum regiones eadem usum via qua Alexander Indiam intraverat, et inde per Arachotos Drangasque in Carmaniam procederet. neque cogitari potest hoc loco auctorem Strabonis voluisse dicere Craterum ab Hydaspe iter fecisse cum militibus usque in Carmaniam — re vera sane Craterus exercitus partem iam ab Hydaspe duxerat — sed nostro loco Strabo de tribus illis partibus ab Alexandro Cratero Nearcho ductis refert. quare librarii mendum, non Strabonis errorem (qui rectam Crateri viam non ignoret p. 725) in verbis illis *ἀπὸ τοῦ Ὑδάσπου ἀρξάμενος* puto inesse. rectene restituemus *ἀπὸ τοῦ Ἰνδοῦ ποταμοῦ*? rectam autem Crateri viam Strabo nobis indicat XV p. 725: *περὶ ταῦτα δέ που τὰ μέρη τῆς ὁμόρου τῇ Ἰνδικῇ καὶ τὴν Χααρηνὴν εἶναι συμβαίνει. ἔστε δὲ τῶν ὑπὸ τοῖς Παρθυαίοις αὕτη προσεχεστάτη τῇ Ἰνδικῇ· διέχει δὲ τῆς Ἀριανῆς δι' Ἀραχωτῶν καὶ τῆς λεχθείσης ὀρεινῆς σταδίους μυρίους⟨ἢ⟩ ἐνναкισχιλίους. ταύτην δὲ τὴν χώραν διεξιὼν Κράτερος, καταστρεφόμενος ἅμα τοὺς ἀπειθοῦντας, ἤει συμμῖξαι τὴν ταχίστην σπεύδων τῷ βασιλεῖ κτἑ.* quae illa est Charene? sita erat secundum Strabonem inter Arachotorum regionem et Indiam. iam si chartas nostratium (velut Herrichianam Afghanistan terrae) inspicias, extat hodie quoque regio lata Kharân (vel Charân) et urbs Kharân, per quam via quoque ducit ex India in Arachotos; nomino singulas urbes Alore (unde digressus est Craterus), Sakkar, Shikarpur, Iakobabad, Gundava, tum via 'Mula-Pass' in meridiem convexa Kharân in urbem. hinc iam in septentrionem versus Kandahar in urbem (in regione Arachotorum), inde via regum („alte Königsstraße") ad urbem Fara (Ferrah; Drangarum in finibus), tum per Nih ad urbem Kerman (Carmaniae caput, ubi cum Alexandro convenit), Craterus processit. Kharân lata illa regio (et urbs) mihi Strabonis *Χααρήνη* videtur esse. fortasse propter elephantos non per medios montes (Bolan-Pass) profectus est. — qua causa commotus rex Craterum dimiserit ignoramus. Droysen II p. 200 factum esse scripsit, quod novarum rerum studiosos regionum illarum cohiberet populos castigaretque quos peragraret. unus sane Strabo p. 721 dixit *Κρατέρου . . . ἅμα χειρουμένου τε τὴν Ἀριάνην* . . . et p. 725 *καταστρεφόμενος τοὺς ἀπειθοῦντας.* sed dubium, num Alexander cum Craterum mitteret iam de Ordanis Persae seditione (cf. Arr. VI, 27,3, Curt. IX, 10,19 sq.) certior factus fuerit. sed ab

ut nuntiatum erat, repperit desertam. sita erat Pattala urbs eo loco ubi Indus in duos fluvios magnos se disiungit. quod cum olim et nunc diversis locis factum sit atque fiat, difficile dictu est, ubi urbs illa condita fuerit. sed maxime in eorum sententiam inclino, qui eandem urbem putant quae hodie Haiderâbâd (vel Patalpur) vocatur.[390]) ac sita erat urbs iam Alexandri temporibus intra duos illos fluvios in sinistra ripa fluvii occidentalioris et quamquam regio illa non ita fertilis erat, tamen plus tum ferebat terra quam hodie ferre dicitur[391]);

Oxyarte socero audiverat, Paropanisadarum satrapam Tyriaspen officio male functum esse, utile putaverit fortasse, etiam alios illarum regionum, Arachosiae, Drangianae, satrapas denuo inspici, quid faciant, num in officio maneant; videtur autem Ordanes Arachotorum fuisse satrapa. in Gedrosia enim nuntium accipit rex a Cratero de Ordane (Ozine Curtii) et Zariaspe rebellantibus et oppressis (cf. Curt. IX, 10,19 sq.). ibi iam novus Gedrosiae et Arachosiae satrapa instituitur Sibyrtios (Arr. VI, 27,1). quod porro addidit Droysen (Craterus sollte) 'die dortigen Satrapen veranlassen, Transporte von Lebensmitteln nach der gedrosischen Küste, die Alexander zunächst zu durchziehen gedachte, hinzusenden, non magis verum. Diodorus refert XVII, 105 ex Gedrosia Alexandrum expeditos homines ad Parthyaeos Drangas Arios misisse talia petentes, idem fere Curtius narrat IX, 10,17. Arrianus autem VI, 27,6 Stasanorem Ariorum et Drangarum satrapam atque Phrataphernem Hyrcanorum et Parthyaeorum satrapam sua sponte in Carmania Alexandro camelos multas adduxisse audito eum per Gedrosiam proficisci: *εἰκάσαντες ὅτι αὐτὰ ἐκεῖνα πείσεται αὐτῷ ἡ στρατιὰ ἃ δὴ ἔπαθε*. nullo tamen loco indicatur iam Cratero fuisse mandatum ut ab satrapis illarum regionum auxilium peteret magno exercitui adducendum. immo Alexander non videtur de Gedrosia eiusque arenis solitudinibusque prorsus cognovisse vera, aut si cognovit, nimis auctos putavit nuntios, ut etiam de India nuntii nimis aucti erant. nam quod Nearchus solus tradidit: novisse Alexandrum qualis Gedrosiorum esset regio (Arr. VI, 24,2) sed ambitione quadam incitatum movisse cum exercitu qua via Semiramis Cyrusque olim cum paucis comitibus vix solis aestum terramque aridam effugissent (cf. Arr. l. l. Strab. XV p. 686), fabula videtur esse. certe talis levitas malum ducem, malum regem eumque nefarium indicavisset..

390) supra vidimus Alexandrum classe ab Alore ad Brahmanabad Curtio teste quattuor diebus esse vectum, celeritate adhibita teste Arriano, infra Brahmanabad etiam maiore studio defluxit (iam tertio die *πλείονι ἢ πρόσθεν σπουδῇ κατέπλει* (Arr. VI, 17,5)), octo vel novem fere milia si fecit singulis diebus, sexto die eum Pattala (Haiderabad) convenisse putabimus. nam Cunningh. teste p. 279 (quocum congruit charta Philipsii: Large Scale Map of the North-Western Frontier of the Indian Empire, London 1897) Haiderabad a Brahmanabad ruinis '47 miles' (milia anglic.) tantum abest. si Indi curvamina in illis regionibus non ita magna sumimus esse, iter in Indo ipso non plus 70 milium anglicanorum vel 15 fere milium geographicorum fuisse arbitrabimur.

391) cf. Arrian. VI, 18,2. de loco ubi Pattala urbs sita fuerit non consentiunt viri docti. nonnulli eandem putaverunt cum ea quae hodie Thatta appellatur, quod vix poterit concedi. Pottinger ('on the present state of the river Indus and the Route of Alexander the Great' in Journ. of the As. Soc. of Beng. I p. 206) cum Garrak aut urbe aliqua prope Garrak (Ierrak) sita. nam ibi ad septentrionem versus veterum urbium extant ruinae. M. Murdo (dissertation on the River Indus in J. of the R. As. S. of Beng. I p. 24) cum Brahmanabad urbis ruinis, quod probaverat Lassen II p. 191: 'nach den ältesten einheimischen Berichten teilte sich der Strom in der Nähe von Brahmanabad.' inque primis locum illum maxime a mari distare. nam cum mense fere Quinctili Alexander Pattalenen ingressus esset, Indum fere maximum fuisse ac rapide fluxisse, ut naves quibus Alexander uteretur, singulis diebus octo milium iter fecissent (Lassen l. l.). si fidem habemus Cunninghamii chartae IX, non circa Brahmanabad urbem, sed paulo infra Iakrao urbem, quattuor vel quinque milibus supra Brahmanabad

neque gratum erat Alexandro huius regionis incolas hostes sibi extitisse. quare exercitus levissime quosque armatos misit, qui e vestigio insequerentur fugientes. quorum captos nonnullos ad reliquos iam misit, qui illos ut confidenter reverterentur admonerent: nam licere eis et urbe uti libera et agros colere ut antea. atque quaecumque fugae causa erat, plurimi redierunt. iam Alexander qui non modo gloriae cupidus neque solum ut terras ignotas cognosceret in illam regionem penetraverat, sed qui Indiam Asiaeque occidentaliores regiones mercatura voluit conectere, Pattalis, quam urbem ad Indum diffluentem optime sitam esse intellexit, arcem curavit muniendum ab Hephaestione et portum et navalia exaedificanda statuit. nam naves non paucas ibi voluit relinquere.[392]) in terram trans Indum orientem versus sitam eamque aridam misit, qui puteos foderent, regionemque habitabilem redderent. atque hos quidem Indi finitimi aggressi sunt; nonnullos cum interfecissent, plures amisissent ipsi, in solitudines se recepere: ut Macedones iam opera incepta ad finem perducerent, adiuti etiam ab aliis quos audito hostium impetu Alexander auxilio miserat.

Quae res cum ex sententia procederent, statuit rex per Indi fluvii brachium dextrum in mare devehi. Leonnatum cum mille equitibus et peditum gravius leviusque armatorum octo fere milibus iussit per

---

primum difluxit Indus. sed dubium num Alexandri M. temporibus fluvius orientalior magnus fuerit. Arrianus autem scripsit VI, 18,2: *περὶ δὲ τοῖς Παττάλοις σχίζεται τοῦ Ἰνδοῦ τὸ ὕδωρ εἰς δύο ποταμοὺς μεγάλους*. quod quadrat optime in Haiderabad urbem, neque dubito quin recte olim iam Droysen p. 455 (n. ed. I, 115) hanc cum Pattalis urbem eandem putaverit. nuper Cunningham p. 279 sq. rem luculenter confirmavit, quem videas. in una re tamen falsus esse videtur. nam et Arriani verbis supra allatis et Strabonis XV p. 701 *ἐν δὲ τῇ Παταλήνῃ πόλις ἐστιν ἀξιόλογος, τὰ Πάταλα, ἀφ' ἧς καὶ ἡ νῆσος καλεῖται* indicatur, intra duos fluvios Indi ipsos urbem Patala-Haiderabad sitam fuisse. at M'. Murdo apud Cunninghamium p. 280 fluvium cis Haiderabad post annum 1350 demum p. Chr. n. ibi perrupisse putat, ut Patala Alexandri temporibus in dextra ripa fluvii sita fuerit. et quamquam Strabonis *ἐν* illud non solum in insula sed etiam ad insulam explicare possemus, si opus esset, tamen et res ipsa et Arriani verba *περὶ δὲ τοῖς Παττάλοις* mihi quidem demonstrant iam Alexandri temporibus illum fluvium occidentalem cis Haiderabad fluxisse, praesertim cum argumenta quae M'. Murdo attulit, non tam firma sint. non omittendus est hoc loco Plinii nuntius Nat. hist. VI, 23 servatus: '(Indus) . . . amplissimam insulam efficiens quae Prasiane (Prâçya = Ostland, terra orientalis) nominatur et aliam minorem quae Patale.' Indi brachium quod nunc Sehwan urbem praeterfluit cum tum nondum extaret duas illas insulas inde a Iakrao urbe hodie nominata ad mare usque extensas fuisse putabimus. maior autem teste Plinio Prasiane erat. ac si cogitamus tum nondum tantas arenae moles Indum in mare proiecisse sed minorem fuisse regionem illam Indi Delta vocatam, facile concedemus insulam extensam a Iakrao urbe ad locum illum Rin nunc appellatum (cf. chartam Cunningh. IX) fuisse eam quam Plinius Prasianen dixit; insulam ab Haiderabad ad mare usque extensam fuisse Pattalenen. ceterum quod nomen attinet Potâla fuisse *ναύσταθμον* nuper dixerunt, olim explicaverunt (cf. Lassen II p. 190. I p. 125 adn. 1) Pâtâla 'Tartarum', fortasse rectius si pro occidente terra liceat sumere, ita ut insulae Prasianae, Prâçya, terrae ad solem orientem sitae, Patala, terra ad occidentem sita opposita fuerit.

392) cf. Lassen I p. 123.

Pattalenen insulam e regione classis proficisci. ipse cum navibus velocissimis et biremibus et trigintaremibus omnibus atque cercuris nonnullis defluxit. neque ullo utebatur navigationis duce, cum aufugissent Indi illam regionem habitantes.[393]) navigabant igitur omnium per quae ferebantur ignari[394]), ut satis difficilis esset devectio. altero die etiam tempestas orta est ac ventus aquis fluvii contrarius undas cavavit quassavitque naves: ut pleraeque damno afficerentur, trigintaremum nonnullae prorsus dissolverentur; quas vix ad terram licuit appellere priusquam dilapsae omnino in fluctibus interirent. alias iam exaedificari iussit rex. cumque cognosceret non posse se sine ducibus secundo Indo in mare decurrere, nam nimis difficilis navigatio erat, levius armatorum expeditissimos in remotiora ripae misit, qui Indos aliquot comprehenderent. qui diutius regionem perscrutati tandem repertos aliquos Alexandro adduxere. atque his iam navigationis ducibus usus est. diebus illis duobus duodecim fere milium iter naves inde a Pattalis urbe fecerant, ac paulo infra Garrak hodie vovatam urbem Alexander tum consederat ad insulam medio alveo fluminis enatam.[395]) cumque naves refecisset porro iam defluxit decem milia.[396]) ibi ex Indis accolis audiebatur tertio die mare appariturum.[397]) profecti autem cum tertio die[398]) non procul a mari eo venissent, ubi in multorum stadiorum latitudinem[399]) fluvius se extendebat et cum mari subeunte undas miscebat[400]), ventus a mari vehementius flavit remique

---

393) cf. Arr. VI, 20,1.

394) Curtius IX, 9,1 narrat duces quidem habuisse Alexandrum, cum proficisceretur, sed socordius asservatos profugisse.

395) vide Curtium l. l.

396) Curtius hanc insulam commemorat; de Patalena insula coll. Arr. cogitari non potest. re vera autem paulo infra Garrak urbem hodie quoque in fluvio insula satis magna invenitur. quod supra duodecim milium iter duobus diebus naves a Pattalis ad insulam fecisse scripsi, non maius fecisse Alexandrum verisimile est praesertim cum tempestas impediret et Leonnatus cum copiis sequeretur. insula autem a Pattalis duodecim fere milibus abest si aquam respicias.

397) cf. Curtium IX, 9,1 'iam CCCC stadia processerant'. spatium autem inter Haiderabad et mare si respicias ostia Indi occidentalia est fere 170 milium angl. (in aqua) teste Cunnigh. p. 284. iam si duobus prioribus diebus a Patalis ad insulam paulo infra Garrak (Ierrak) sitam duodecim fere milia et inde secundum Curtium rursus decem milia geogr. provectum Alexandrum putabimus, iam ibi erat in Indo, ubi aestus maris sentiebantur. nam restant fere 69 milia angl. 'the tides' autem 'in the Indus are not felt more then 60 miles from the sea' (Cunn. l. l.) 'by land' scilicet vel 90 miles 'by water'. illa 69 milia anglic. in aqua tribus diebus emetiri poterat classis.

398) cf. Curt. IX, 9,6. de Indis tantum refert; num duces secuti sint non indicat. quod dixerat IX, 9,3 ibi demum auram maris a gubernatoribus sensam esse non congruit cum Arriano, qui iam altero die postquam Pattalis provecti erant hoc factum esse testatur: καὶ ὁ ἄνεμος τῷ ῥόῳ πνέων ὑπεναντίος VI, 18,4.

399) cf. Curtium IX, 9, 7. Graecos tum paulo plus ducentis stadiis si fluvium respicis a mari afuisse ex Arriano elucet VI, 19, 3 sq. curvamina autem Indi extremi maxima sunt.

400) ducenta stadia = quinque milia geogr. tradit Arrianus. in suspicionem vocavit iam Droysen qui dicit: des Indus zwei Meilen breite Münde. sed non

vix in fluctibus adhiberi potuerunt, ut in fossam h. e. amnis brachium minus se reciperent, quam Indi duces monstraverunt.[401]) atque accidit, quod in magno Oceano solet fieri: recessit mare ac naves in terra reliquit. quod cum nondum vidissent Macedones, valde perterriti sunt, magis etiam cum aestus suo tempore rediret et naves sublevaret.[402]) et quae in limo naves adhaerebant sine damno ullo aut detrimento tollebantur rursusque navigabant. sed quae in regione sicciore neque satis firmae stabant, magno impetu cum aquae irruerent, inter se collisae partim, aliae in terram iactae interierunt. ac milites e navibus qui egressi vagabantur vix in eundem locum se potuerunt recipere.[403]) clamor undique audiebatur metusque erat permagnus. atque Alexander navibus quam optime fieri poterat refectis cum cercuris duabus praemisit qui insulam inspectarent, ad quam Indi naves amne secundo in mare provehenti appellendas esse dixerant. Cilluta ab incolis nominabatur.[404]) cumque audisset rex portum ibi esse atque

---

debemus oblivisci maximum eo anni tempore fuisse Indum neque totam illam regionem hodie non iam eandem esse quae fuerit Alexandri aetate. nostris sane temporibus nullum Indi ostium tam latum est; verum Arrianus dicit tantum, Indum, ubi latissimus fuerit, in eam latitudinem diffluxisse, non ubique aut per longius spatium tam latum fuisse. est autem hodie quoque regio, ubi tantopere diffluit Indus atque lacum quodammodo efficit, in Chedewari brachio paulo infra eum locum ubi Indus in duo brachia maiora diffluit Hudschemri et Chedewari. poterat similis locus etiam Indi veteris fuisse. ceterum ne suspicari quidem liceat, quo brachio Indi classis Alexandri devecta sit. nam sunt praeter maiora duo illa brachia modo nominata multa minora. si M.' Murdo verus est auctor vetus Indi brachium dextrum praeter Debal hodie urbem nominatam defluxit. cf. Lassen II p. 191. hodie quoque Piti vel Sindhi ostium appellatur (vide Cunningh. chartam IX). eo usus esse videtur Alexander.

401) cf. Curt. IX, 9, 7. errat Droysen II p. 204 cum scribat 'wohl noch zehn Meilen von der eigentlichen Strommündung'. cf. adn. 399.

402) cf. Curtius IX, 9, 8: 'tum aliam insulam medio amni sitam evecti'. inclusa erat insula fluvio et fossa (brachio) illa, quam Arrianus commemorat; neque enim eandem insulam videtur Curtius dicere, de quam Arrianus VI, 19, 3 refert.

403) tertio die non procul iam a mari ipso erant, cum sentirent aestus eius magnos; quod vix mirum; nam etiamsi aestus illis locis iam sentitur ab peritis eius rei 100 fere kilometra ab litore, Graeci imperiti senserunt demum, cum valde differebat aquarum altitudo. sentire certe debebant iam diebus duobus prioribus, sed non animadverterunt, aut non intellexerunt 'leni adhuc aestu confundente dispares undas' Curt. IX, 9,7. etiam in sequentibus Curtius (IX, 9,9 sq.) satis bene de mari tum et invehente et recedente rursusque invehente rettulit. sed quod narrat ad cibos petendos discurrisse Macedones, cum primum Oceanus exaestuans coeperit invehi: aestuantis igitur maris aspectum illos habuisse priorem, non congruit cum Arriano, qui primum recedentium aquarum aspectu consternatos esse refert Macedones VI, 19,1. decerpsit sua Curtius sine dubio ex Clitarcho. nam tradidit IX, 9,23 equites Alexandrum ad os amnis misisse, qui cum mare exaestuare rursus sensissent, recederent nuntiarentque. atque eos sequente aestu refugisse cursu ingenti. scimus autem ex Strabone VII, 293 Clitarchum narrasse, equites maris accessu viso aufugisse vixque aquas potuisse effugere. iam Strabo (atque adeo Posidonius) Clitarchum vituperavit, qui rem certe valde auxisset. sed non noverant neque Strabo neque Posidonius magni Oceani aestus: de equitibus fortasse recte rettulit Clitarchus.

404) hoc iam ex Curtio addidi cf. l. l.

magnam esse insulam et aquam praebere, partem classis eo iussit appelli; ipse cum navibus celerrimis de media nocte[405]) ulterius vectus est ut exploraret fluvii ostium, num facili opera naves in mare pervenirent. provectus autem ducenta fere stadia ad fluvii ostium aliam inde vidit insulam, eamque in ipso iam mari sitam.[406]) atque illo quidem die rediit ad priorem insulam in fluvio sitam, cuius ad fastigia appulsus dis[407]) sacrificavit quibus dicebat se ab Ammone iussum esse sacrificare. postero die ad insulam alteram rursus defluxit, ubi alia rursus sacra fecit et aliis dis et alium in modum. atque haec quoque ex Ammonis dei fieri oraculo confirmavit. inde in vastum mare quadraginta fere stadia a continenti[408]) evectus ut ipse dixit exploraturus num quae regio finitima in mari extaret, immolavit Neptuno tauros inque mare caesos iecit; libavit praeterea aureamque phialam aureosque crateras in mare demisit, precans ut Neptunus classem, quam Nearcho duce in sinum Persicum adque Euphratis Tigrisque ostia mittere in animo habuit, incolumem traduceret.[409])

Iam ad insulas reversus inde Pattala urbem petivit.[410]) quo cum veniret, et Pithon mandatis omnibus perfectis cum militibus, quibus praefectus erat, redierat et arx ab Hephaestione erat exaedificata.

---

405) Curtius et hanc insulam ignorat et alteram ab Alexandro commemoratam. Diodoros scit XVII, 104,1 duas insulas Alexandrum in ostio fluminis repperisse. Plut. v. Al. c. 66 refert Alexandrum ipsum insulam priorem (— de posteriore tacet —) Scillustin appellasse, alios Psittucin. num ad posterius referendum fortasse nomen hodiernum veteris Indi ostii: Piti-mouth? ceterum ubi insulae illae sitae fuerint hodie non iam potest dici cf. Droysen II p. 204 adn. 2. quae denique causa commotus aut quo iure Droysen insulam priorem Skilluta nominaverit non video. ego sequor Arrianum cf. Lassen II p. 193, Hertzberg II, 334.

406) Curtius postquam de aestu et invehente et recedente rursusque invehente rettulit pergit dicere IX, 9, 27: 'Rex cum ex eo quod acciderat coniectaret, post solis ortum datum tempus esse, de media nocte, ut aestum occuparet, cum paucis navigiis secundo amne defluxit' etc. haec ad priorem regis devectionem in mare referenda esse satis certum est; bis autem eum devectum esse nescit Curtius.

407) negligenter Droysen II p. 205: 'nach einer Fahrt von vier Meilen erreichte man ostwärts eine zweite Insel'. Arrianus *προελθόντες . . . διακοσίους ὅσον σταδίους ἀφορῶσιν ἄλλην νῆσον*! e Curtio fortasse licet concludi hanc insulam non multo minus quadraginta stadia a continenti afuisse, nam tradit: 'evectusque os eius quadraginta stadia processit in mare . . . praesidibusque et maris et locorum diis sacrificio facto ad classem rediit' (IX, 9, 27). de insula sane tacet. Arrianus autem Alexandrum scit etiam ultra illam insulam in mare vectum esse.

408) ita Arrianus narravit VI, 19, 4 cf. Plut. vit. Al. c. 66. Diod. XVII, 104, 1. Curt. IX, 9, 27. negligentissime Droysen II p. 205: 'ein feierliches Opfer für Ammon, wie es der Gott durch ein Orakel geboten, feierte dieses erste Erblicken des Oceans'!

409) numerum servavit Curtius l. l.

410) ita satis accurate Arrianus rem enarravit. Curtii nuntios supra commemoravi. Diodor. XVII p. 104, 1 *πολλὰ μὲν ἐκπώματα καὶ μεγάλα χρυσᾶ* in mare iecisse Alexandrum, praeterea *βωμοὺς . . . Τηθύος καὶ Ὠκεανοῦ* exaedificasse scit; duae eius insulae ibi commemoratae eaedem sunt quae Arriani.

qui iam portum urbis naviumque stationem munire et navalia exstruere iussus est; nam ad Pattala quoque non paucarum navium classem regem in animo habuisse relinquere in statione supra dixi. ipse Alexander sinistro deinde Indi brachio ad mare decurrit. cognoscere enim voluit, utra via facilius classis in mare deveheretur.[411]) ac venit ad magnum lacum Rin hodie vocatum[412]), qui et ab ipso flumine efficitur et a rivis ex cirumcirca regionibus qui veniunt et aquis quae maris ventis vehementibus illuc ex mari pelluntur. lacus autem inde a mense Quinctili ad Octobrem etiam hodie sinui maris similior est, cum per reliquum anni tempus paludem aequet. Alexander autem eo venit ut scimus mense fere Quinctili[413]): tum paene mare eum repperit. pisces etiam maritimos in illo lacu vidit maiores multo quam quales extant in mari mediterraneo. tanta autem salis copia in aquis inerat, ut si quis ingrediebatur lavandi causa sale coopertus exiret utque scabies corpora invaderet et contagione in alios morbus vulgaretur: oleum remedium erat.[414])

In hunc igitur locum cum Alexander venisset eo naves iussit

---

411) Diodorus XVII, 104, 1 a mari redeuntem regem ad *Ταύαλα* (nonnulli codices *Ὕαλα* vel *Ταῦλα*) vectum esse narrat. ubi Pattala correxere. sed quae addidit Diodorus *αὕτη δὲ τὴν πολιτείαν εἶχε διατεταγμένην ὁμοίως τῇ Σπάρτῃ· ἀπὸ δύο γὰρ οἴκων ἐν αὐτῇ διεδέχοντο δύο βασιλεῖς κτἑ*. non quadrant in Pattalensium urbem ubi unus tantum regulus commemoratur Moeris. aut igitur finxit hoc de duobus regibus auctor Diodori, aut alia urbs est. ac poterit fortasse cogitari de Debal hodie vocata urbe; nam olim Indus h. e. Indi brachium, ut supra iam dixi, Debal urbem praeterfluxit. M.' Murdo autem cum duplici modo explicaret vocem Debal derivavit etiam ab Devâla: fortasse idem est Diodori *Ταῦαλα*. ceterum iam in Musicani regno mores Graeci invenerant Lacedaemoniorum moribus similes. vide Strab. XV p. 701 ex.

412) aperte erravit Curtii auctor, qui narratis quae ad Indi ostium dextrum facta essent perrexit: 'hinc adversum flumen subit classis. et altero die appulsa est haud procul lacu salso'. nam lacus ille certe idem est qui ab Arriano quoque commemoratur.

413) vox Indica est Irina 'terra salsa' cf. Lassen I p. 132 adn. 2. ab auctore Peripl. mar. Erythr. p. 23 ed. Huds. lacus *Εἴρινος* vocatur; certe idem est cf. Droysen II p. 207 adn. 1.

414) supra cognovimus, paulo post Idus Ianuarias anni 325 a. Chr. n. devectum esse Alexandrum a Multân urbe. non ante Idus Febr. eum ab Indo et Acesine confluentibus ubi urbs aedificabatur profectum esse verisimile est. iam Plinius narrat N. h. VI, 60: 'proditur Alexander nullo die minus stadia CC navigasse Indo nec potuisse ante menses V enavigare adiectis paucis diebus'. paulo post Idus igitur Quinctiles eum ad mare venisse secundum Plinii illum nuntium verisimile est. evolvas Strabonem: ex Aristobulo narrat XV p. 692 *καὶ πλεῖν ἀρξαμένους* (ad Hydaspem) *πρὸ δύσεως Πλητάδος οὐ πολλαῖς ἡμέραις* (circa Kalendas Novembres) *καὶ τὸ φθινόπωρον πᾶν καὶ τὸν χειμῶνα καὶ τὸ ἐπιὸν ἔαρ καὶ θέρος ἐν τῷ κατάπλῳ πραγματευθέντας ἐλθεῖν εἰς τὴν Παταλήνην περὶ Κυνὸς ἐπιτολήν· δέκα μὲν δὴ τοῦ κατάπλου γενέσθαι μῆνας. Κυνὸς ἐπιτολή* canis ortus a Plinio definitur XVIII, 269 et 288 post dies a solstitio (a. d. VIII. Kal. Iul.) XXIII. cumque Indiae paucis diebus ante oriatur canis paulo ante Idus Alexander intravit Patalenen. ac si adicis octo vel novem illos dies quibus devectus est Pattalis in mare, paulo post Idus Quinctiles ad mare venit. decem autem menses devectionis ita intellegendi sunt, ut circa Kalendas Septembres Alexander iter in Gedrosiam inierit.

appelli quo Indi duces dicebant. Leonnatum ibi reliquit cum suis militibus et cercuris omnibus. ipse cum trigintaremibus et biremibus ad Indi ostium sinistrum — Kori mouth hodie vocatum — devectus est.[415]) quod cum superasset atque facilius a classe posse superari cognosset quam dextrum illud, eo statuit totam classem deducere, ut inde iam itinere maritimo progrederetur. atque e navibus egressus cum equitibus nonnullis secundum mare in litore per tres dies processit et regionem exploravit. quam cum aridam et aqua dulci carentem repperisset, fodiendos in litore maris puteos curavit, ut aquari possent qui postea illam oram praeterveherentur.[416]) deinde ad naves reversus

415) cf. Curt. IX, 10, 1.

416) ostia Indi inter se MDCCC stadiis distare Arrianus (VI, 20, 2 cf. 17, 2. Strab. XV p. 701) tradidit; secutus esse videtur Ptolemaeum, qui cum Nearcho in hac re consentit cf. Strabonem l. l. Onesicritus duobus milibus stadiorum inter se remota esse rettulit, Aristobulus mille tantum stadiis. ac si chartas nostratium comparamus, Aristobuli numerus vero proximus videtur esse, si ostium occidentale non quod hodie Kulliwari appellatur sed quod Piti vel Sindhi vocatur putamus fuisse, ubi Alexandri temporibus Indi dextrum brachium in mare se immiserit (cf. Lassen II p. 191, Cunningh. chart. IX, Hertzberg II p. 331 adn. et quae ipse supra de ea re scripsi), ostium orientale vel sinistrum, quod hodie Kori mouth dicitur. nam re vera distant haec duo ostia si per oram maritimam recta via procedas stadiis fere mille. Nearchi numerus etiamsi non eandem Delta illius fuisse formam veterem atque recentiorem concedamus, tamen non ad brachia illa Indi videtur posse referri. quem Droysen II p. 207 adn. 1 putavit indicasse quantum distet occidentale ostium ab ostio orientali lacus illius, qui etiam hodie illic supra Kachh regionem extat. ac si occidentale ostium cum Droysenio sumis quod Kuliwari ostium nominatur, non modo mille octingentis stadiis sed quinquaginta fere milibus geographicis, hoc est duobus milibus stadiorum inter se videntur distare Indi ostium occidentale et lacus illius ostium orientale; ut Onesicriti numerus rectior possit esse. equidem tamen neque Kuliwari ostium Indi dextrum sumo quo Alexander in mare evectus sit, neque existimo regem per totum illum lacum salsum navigasse ac per eius ostium orientale decurrisse in mare. sed credo eum per lacus occidentale ostium Kori quod vocatur hodie praeter Lakpat urbem in oceanum defluxisse. [Arrianus] in Per. m. E. p. 24 ed. Huds. (c. 40) quod narrat in insula illa quae mari formetur et lacu et ostiis lacus multa exstare vestigia Alexandri exercitus, non opus est regem ipsum ab ostio lacus orientali ad occidentale processisse; vestigia esse possunt Nearchi, qui diutius cum Alexander iam in regiones Gedrosiorum discessisset, ad lacum commoratus est ventos exspectans idoneos. neque denique quae Droysen scripsit II p. 207 adn. 1: 'Da Alexander drei Tagemärsche weit von der Ostmündung gen Westen vorrücken konnte, so war auf dieser Strecke von gewiß 10—15 Meilen keine von den sechs übrigen Mündungen des Indus, während heute von der Mündung des Rin (Korimündung) bis zur nächsten kaum $1\frac{1}{2}$ Meile, bis zur großen Hauptmündung nicht über 10 Meilen Entfernung und dazwischen eine Reihe von Strominseln ist' . . . me novent ut sententiae eius accedam. nam primum nescimus, qualis veteris illius litoris fuerit forma; valde autem dubium est, num eadem fuerit atque nunc est. Kuliwari et Chedewari ostia non tanta certe erant tum, quanta hodie sunt. sed concesso ea tanta fuisse atque Alexandrum re vera Kuliwari ostio devectum esse — quamquam mirum esset, scriptores nihil referre de ostio occidentaliore magno Sindhi — distant hodie quoque Kuliwari et Kori ostia circa quindecim milia geographica, cumque minus ostium — si omnino ostium erat — Kuliwari tum esset, ne brachia quidem illa minora inter Kuliwari et Kori ostia fuisse videntur. iam cum equitibus nonnullis Alexander processisse dicitur: verisimile est eum praeter mare isse (nam certe puteos navigantibus prope ad mare iussit fodi), comitatum fortasse navibus nonnullis praeter

Leonnatumque cum his Pattala rediit. atque inde iam partem exercitus dextro Indi brachio ad puteos in reliqua ora maritima Delta illius fodiendos emisit[417]) imperans ut solutis mandatis Pattala reverterentur. ipse cum parte classis exercitusque iterum Pattalis sinistro brachio Indi in lacum devectus est. ibi portum curavit extruendum atque navalia aedificanda.[418]) praesidium quoque reliquit frumentumque in quattuor menses exercitui navali congessit atque reliqua ad navigationem trans Oceanum necessaria paravit. sed classis nondum poterat proficisci. etesiae enim flabant, quos illis in regionibus per anni tempus maximum ab Oceano ex austro spirare audiverant, cum inde a Novembris mensis initio ad solstitium hibernum ex septentrione venientes mare navigabile redderent. Alexander autem paucis diebus post Idus Quinctiles Pattala venerat. tum fere exibat mensis Augustus et classis Novembris initium debuit exspectare. praefecit classi Nearchum amicum aptissimum huic operi atque fidelissimum[419]);

---

oram, ipsum si opus esset recipientibus tutantibusque. ita credi nequit eum quindecim milia geographica esse progressum, praesertim cum etiam putei fodiendi erant; fortasse decem, si rectam spectas viam. cum autem Kuliwari quindecim fere milia distet, nondum eo venisset tribus illis diebus, etiamsi adfuisset. quare aliter rem puto explicandam. Nearchum Ptolemaeus secutus est, quod ille praeter litus navibus vectus spatium inter duo ostia accurate emensus esse videtur: curvamina igitur litoris evectus est eaque respicienda sunt in numero explicando Nearchi. aequat autem de Indo inferiore Cunningham 30 milia in terra cum 45 milibus in aqua (v. p. 284). in mari autem curvamina etiam maiora sunt propter multos sinus. Onesicritus denique rem aperte auxit. nam ille idem scit, tria illa latera Delta illius (duo brachia Indi et ora maris) esse aequa (cf. Strabon. XV p. 701), quod magnopere abhorret a vero si duo milia stadiorum basi illius trianguli tribuas, congruit tamen, si Arristobuli numerum spatii recti ad singula adhibeas latera.

417) non respexit suos tantum, sed omnes qui postea mercatores Graeci illud litus praeterveherentur.

418) ita Arriani verba VI, 20, 5 *τὰ αὐτὰ ταῦτα* (eadem illa) *ἐργασομένους κατὰ τὴν παραλίαν ἔπεμψεν*, ubi *τὴν* ⟨*ἑτέραν*⟩ *παραλίαν* scribendum puto; ipse enim sinistro brachio Indi ad lacum devehitur; atque in illa regione putei iam fossi erant.

419) quo loco aedificata sint nescio. videntur prope urbem aliquam exstructa esse. Plin. nat. h. VI, 96 refert Xylinepolim urbem ab Alexandro conditam esse, unde Nearchus et Onesicritus navigationis exordium ceperint; sed non dixisse illos ubi sita esset. conditam urbem esse non dixit Arrianus; potuit urbis iam exstantis mutari nomen. num quae hodie Lakpat vocatur urbs Xylinepolis vetus fuerit, quod sumpsit Cunningham (chart. IX), incertum est. Iustinus XII, 10 haec tradit: 'secundo aestu ostio fluminis (h. e. adversi) invehitur. ibi in monumenta rerum a se gestarum urbem Barcen condidit arasque statuit. relicto ex numero amicorum litoralibus Indis praefecto inde iter terrestre facturus etc.' Barcen illam Cunningham cum Ptolemaeo geogr. Barbaris et auctoris Peripl. mar. Er. Barbaricae emporio et nostratium urbe Bambhûra ad Ghâra brachium Indi maxime occidentale eandem putavit. quod si ita esset Barce = Barbarike non ab Alexandro ipso fuisset condita sed postea demum. nam Alexander non ad Indi brachium dextrum urbem posuit, cum Indi ostium sinistrum navigantibus multo facilius superatu intellexisset. idcirco ad lacum Rin portum illum ad urbem Xylinepolim aedificavit et navalia; ibi Iustini Barce (= Barbarice) videtur quaerenda esse. Xylinepolis (urbs lignea!) videtur graecum nomen urbis Indicae (Kaljanwara?), quod extat fortasse in nomine Kori ostii quod ser-


JAN 24
MICHIGAN

